OTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
54
NAPOLI

Digitized by Google

1. Q. n. 13.

B B B

111

2

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS
MAIESTATIS
CIRCA SACRA,
SIVE

Tractatus Theologicus, de jure Magistratus circa res ecclesiasticas,

Oppositus

Cl.D. Professoris NICOLAI VEDELII tractatui, de Episcopatu Constantini Magni,

Ex Authoritate, & jussu Classis VValachrianæ adornatus;

PER

GVILIELMVM APOLLONII, Verbi Dei Ministrum apud Zeland. in Eccl. Mediob.

B. R. NEAPOLIS

Ex Bibl. Ios. Ren. Card. Imperialis

Mediobvrgi Zelandorum,
Apud Iacobum Fierensium bibliopolam, sub insigni Globi, Anno 1642.

Digitized by Google

Videt lucem hic tractatus ex præ-
scripto 46. articuli ecclesiasti-
cæ politiæ, authoritate ampliſſi-
morum ac nobiliſſimorum Ze-
landiæ ordinum ſtabilitæ.

Digitized by Google

Nobilibus & potentibus Dominis,

D. D. Delegatis & Conſiliariis Ordinum ZELANDIÆ,

Ampliſſimi, Nobiliſſimi & potentes Domini,

QUamvis mihi inaſſueta ſcriptioni manus, tamen ſic ut erat inaſſueta, ſcriptioni admovere, quam cauſæ juſtæ; publicæ, Chriſtianæ deeſſe malo: ubi enim in diſcrimen adducta eſt cauſa communitatis, ſpectator nemo ſit, actor quiſque. Ex communis enim officii nexu, cujuſvis tum intereſt de communitate, ubi res omnium agitur; omni ope atque opera, omni ſtudio atque officio, ſtrenue pro ea dimicare. Cum igitur publica eccleſiæ jura & libertates diſſipantur, eorum hic cauſa potior, quibus præterquam quod Chriſtiani ſunt, Sacrorum quo-

Digitized by Google

que procuratio commissa est; quorum id ex munere præstare munus est, ut ecclesiæ jura, quæ sacri juris sunt, ita ut sunt pro sacrosanctis habeantur, neve quis ea violatum veniat. Nemo id igitur Classi Walachrianæ (spero) in crimen positurus est, quod causæ huic tam & communi & sacræ operam suam denegare noluit. Equidem non amo de nostris, quibus ita refrixit zelus pro domo Dei, ut in tanti momenti causa, tepidi & tacentes sedeant. Dissipat imo subvertit, nupero de Constantini Magni Episcopatu Libello, Cl. D. Professor Nicolaus Vedelius sacrosancta ecclesiæ jura, & libertates quas Christus sanguine suo acquisivit; & spirituale Christi regnum ab hominum servitute liberum & liberatum, extraneæ potestatis jugo subjicit: hic igitur & fidem & animam liberare, Theologos decet, quibus communis rei, religionis Christianæ, & spiritualis in regno Christi regiminis cura incumbit: sanctæ enim religioni & cœlestis regni Christi

ſti promotioni præſidii plurimum eſt in recte conſtituto eccleſiæ regimine. Cum ex eccleſiaſtici noſtri conventus mandato, hæc provincia mihi delata ſit, ut cœleſte eccleſiæ regimen ab omni injuria illata vindicem; alterutrum hic mihi faciendum fuit; vel enim, dum ſubduco me certamini huic, deſidis animi; vel cœpti forte temerarii nota ſubeunda fuit, dum infero me in cauſam, cui melior debetur defenſio, quam quæ mearum eſt virium. Sed eſt quidem ubi virium habenda eſt ratio; eſt etiam, ut in hac cauſa, ubi malis vires quam voluntatem, facultatem quam fidem deſiderari. Hæc vero noſtra commentatio pro cauſa eccleſiæ, imo & pro veſtro Majeſtatis jure N. & P. Domini, circa eccleſiam, hoc epiſtolio veſtram tutelam ſubmiſſe rogat: agitur enim de jure veſtro, quo ſecura conſcientia uti poſſitis: agitur de eccleſiæ libertate, quam omni potentia defendere, vere regium eſt. Principum enim, & Magiſtratuum vere Chri-

Digitized by Google

ſtianorum eſſe conſtat ; primo beneficii illius, quo Deus ſibi eccleſiam in peculiarem populum è mundo ſegregat, conſervationi incumbere, & regni Chriſti libertates & jura defendere. Quum enim utrique legis tabulæ cuſtodiendæ deſtinati ſint, certum eſt etiam religionis, & ſpiritualis regiminis cœleſti in regno Chriſti curam ad animum admittere debere; ac quo hæc pura & incorrupta habeant conſerventque, omnibus legitimis mediis à Deo inſtitutis, atque in Apoſtolica, primitiva, & veteri eccleſia obſervatis, ſumma cum fide procurare, neque uſquam in re longe maxima à recto tramite deflectere. Deinde, ſi ad eccleſiæ peregrinantis in hoc mundo conditionem, animi cogitationem reflectamus, piorum principum ac Magiſtratuum officium erit, ab eccleſia injurias & ſcelera Tyrannorum propulſare: ſi enim eorum, quos naturalis civiliſque ſocietas tantum inter ſe conciliat, defenſionem ſuſcipiant; cur ſacram illam multitudinem

Digitized by Google

dinem Dei obſequio ſe addicentium, in tutelam fidemque ſuam recipere gravetur? an enim ulla magis impia aut execrabilis Tyrannis eſt, quam quæ in animam exercetur? aut nobilior militia, quam qua improbiſſima Tyrannis coercetur? & cum ſubinde ex ipſius eccleſiæ gremio aſſurgant, qui filiorum Dei internecionem, & regni Chriſti detrimentum, aut veritatis aut charitatis defectu, machinentur: hos ordine divinitus inſtituto in ordinem cogere, ne petulantius virus ſuum ſpargant, majoreſve diſſipationes faciant, ſemper pii principes & proceres ad officium ſuum pertinere arbitrati ſunt. Documento ſunt Conſtantini, Theodoſii, Marciani, aliorumque exempla; qui hunc in finem Synodos convocarunt, atque in iis rerum controverſarum dijudicationes patribus permiſerunt: iidem reliquerunt eccleſiis, & poteſtatem ordinandorum miniſtrorum, & diſciplinam contra delinquentes legitimo ordine exercendam. De

Digitized by Google

hoc igitur jure veſtro potentes Domini, cum agat hæc noſtra diſſertatio, qua legitimus ejus uſus, & vera ejus majeſtas deſcribitur, contra omnem ejus illegitimam uſurpationem, confuſionem, diminutionem, quam imprudentes quidam, ſub fucoſo ampliendæ poteſtatis veſtræ prætextu moliuntur; ſub veſtra igitur tutela recumbere gaudet. Nihil hic de jure veſtro, quod divino jure conſtat, diminutum volumus, abſit; pro veſtra enim Majeſtate aſſerenda erectos animos & liberos ſpiritus gerimus, Deum ferventiſſimis precibus continuo veneramur. Et eccleſiæ juri, regnique Chriſti libertati omnia noſtra ſtudia, fortunas, & vitam ipſam conſecramus. Nihil etiam hoc noſtro ſcripto in ordine & regimine eccleſiaſtico, eccleſiaſtice & politice in hac noſtra provincia recepto, invertere conamur: nos enim nec tutum nec fas arbitramur, eccleſias tollerabilem eccleſiaſtici regiminis formam nactas, ob minimas de politia eccleſiaſtica quæ-

quæſtiunculas, turbas excitare; nec bellum ſacrum ex hiſce cauſis excitatum, paci præferendum exiſtimamus; modo eccleſiæ conſtet ſua libertas, & Chriſti regno ſua Majeſtas. Sed eccleſiarum regimen ab illata calumnia & injuria, & ab omni alienæ uſurpatæ authoritatis ſuſpicione vindicare intendo; & ſtrictim de jure indicare, quid in recto eccleſiæ regimine, eccleſiaſticis, quid principi conveniat: ut limites ab unico eccleſiarum Magiſtro & principe ſtatuti ſacri & intacti conſerventur, ne principes minus religioſi Tyrannica violatione & libidine eccleſiam in ſuo munere peragendo impediant. Neque enim improbamus, ſi quando ſuam authoritatem interponant principes in rebus eccleſiaſticis, modo conſervando eccleſiæ ordini, non turbando, diſciplinæque ſtabiliendæ, non diſſolvendæ hoc fiat: quod omnes ſancti viri & fideles Epiſcopi in veteri eccleſia (teſte *Calvino* noſtro) quæſiverunt, hic & noſter eſt animus, & hæc inten-

intentio. Deus Opt. Max. Nobiles & & Potentes Domini, vos diu ſanos & incolumes conſervet: & veſtro regimine eccleſiam florentem, & proſperam præſtet Rempublicam. Dabam MEDIOBURGI ipſis Kalendis Octobiis Anni 1642.

Veſtræ Nobilitati & Potentiæ
addictiſſimus

GVILEL. APOLLONII.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Sæpe per diſſidiorum æſtus graviſſima incommoda invecta in eccleſiam fuiſſe, atque adeo ab iis, qui primas in eccleſia tenebant, omnibus pene ſeculis innotuit. Hæc enim ſors ſemper eccleſiæ Chriſti objecta fuit, qua pernitioſiſſimæ hæreſes conflatæ, & in publicum ſparſæ, maxima ſcandala & impedimenta Euangelio objecta ſunt ab iis, qui in eccleſiarum ſcholarumque miniſteriis verſabantur, aut aliquo nomine gregariorum numero exempti erant. Nunquam enim deerunt qui vana ſcitntia faſtuque turgidi perniciosiſſimas opinionum & affectuum labes hominum animis inferant: levia ingenia, quæ quolibet impulſu ad quodlibet credendum, ſequendum, & propugnandum incitentur: nunquam diaboli, qui omnem lapidem moveant, ut abrumpant eccleſiæ unitatem, Chriſtique regnum in turbas conjiciant. Hæc

etiam

etiam hora tentationis gravissimæ, quæ novissimis hisce temporibus premit ecclesias refermatas, detexit non modo per fidos proditores, & hostes infestos; sed etiam bonæ causæ desertores, & ut puræ religionis, sic alios constituti regiminis ecclesiarum prævaricatores. Hinc in reformatis Belgii ecclesiis nostris temporibus, ad doctrinæ controversias, altera dissidii materies de ecclesiastica nempe gubernatione accessit: & quamvis ad procuranda legitima remedia, tollendis ecclesiæ controversiis divinitus ordinata, cogitationem studiumque suum convertere provinciarum proceres, & ecclesiæ Christi, dignati sunt; de ecclesiastico tamen regimine, quamvis tractatus quosdam placide dissentes, non fastidierint, ad hunc usque diem ecclesiis nunquam Alcionia tempora obtigerunt. Malum illud exacerbatum jam periculosissime recruduit, cum Cl. D. Vedelius S. S. Theologiæ Professor in Academia Franequerana libellum quendam, prudentia & authoritate Magistratus Daventriensis (ut intelligo) antea suppressum, in lucum protulit, sub titulo De Episcopatu Constantini Magni: quo disciplinam

nam ecclesiæ, & politiam ejus optime constitutam oppugnare aggressus, de jure Magistratus circa sacra disserit; & crambe recocta, vel velificationis cursu aliquantulum immutato, quibusdam, qui Remonstrantium opinionibus in hoc articulo sunt addicti, opus gratum præstitit: & in ecclesias innocuas, regiminis ecclesiastici puritati addictas, horrenda crimina conjicit: & præfatione malignæ loliginis succi plena, seu Philippica potius invectiva, opus hoc præmunivit; cui responsum, si Deus dabit, aliquando parabimus. Dolent & ingemiscunt pii, quod ex ipso ecclesiæ gremio prodire, & in ejus sinu foveri videant homines extraneos, rerum nostrarum ignaros (quamvis alias doctissimos) à quibus ecclesiarum nostrarum labores temere proculcantur, & incautis politicis quibusdam palpus obtruditur. Hinc præstantes quidam eruditione & pietate viri, ut scripto hac in causa publico prodessem, monuerunt: nec acquievi tamen, donec Classis Walachriana judicium, authoritatemque suam interposuit (cui assensum in re bona denegare mihi religio est) quæ hoc scriptum nobis imposuit; non ut dissidiorum nubes cogat, quæ dis-

diſpellenda ſunt potius, ſed ut genuinam ſuam ſententiam, de hoc articulo, omnibus prodat: ut malis eccleſiæ imminentibus, & per hujuſmodi ſcripta excitandis, ſeſe objiciat: & petulantibus ingeniis, ſi fieri poſſit, hac in parte, remoram objiciat. Ejus igitur juſſu jam ante aliquot menſes tractatus hic in lucem prodiiſſet, qui ob defectum Typothetarum, & aliarum rerum ad Typographicam operam neceſſariarum, dimidiatus prodit: brevi, Deo dante, altera ejus parte ſubſecutura. Eccleſiæ Dei prodeſſe ſtudui, quod ſi obtinuero, gaudebo laboris mei fructu: ſin minus, ſolabor me boni propoſiti conſcientia: boni operis pretium in ipſo eſt, & recte feciſſe, facti merces. Vitia typographica, quorum pluſcula in hoc ſcripto irrepſerunt, quoties occurrunt graviora, ut emendare Chriſtianus lector dignetur, ſubmiſſe rogamus. Non humana authoritate tantum hac in cauſa, prout quam plurimum Cl. Vedelius, ſed ratione Theologica & authoritate divina pugno: Interim reformatorum aſſenſu me non deſtitui, citatis teſtimoniis, ſatis luculenter oſtendo. Imo hoc ſerio aſſero, me in hac cauſa de meo nihil ferme attuliſſe, ſed

alio-

aliorum lucubrationes & ſcrinia compilaſſe, & quidquid ſparſim de hac cauſa dixerunt Theologi collegiſſe, ut Cl. Vedelii jactantiam, qua ſæpe ſuperbit, manifeſtem, qua ſe totius eccleſiæ reformatæ ſententiam proponere prætendit. Hominibus placere non ſtudui: vitium enim ex meo ſenſu, non velle melioribus probari ſua, ſed pluribus: ſufficiet aliquibus placuiſſe, iiſque bonis. Interim quidquid hoc labore noſtro in vulgus emiſſum vides, veræ eccleſiæ judicio ſubmiſſum eſto.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA
DE IVRE MAGISTRATVS
circa Ecclesiastica in *GENERE.*

CAP. I.

Generalis sententiæ Orthodoxæ Descriptio.

AVthoritas Magistratus in Sacris, vel est circa causas seu res ecclesiasticas: Vel in personas ecclesiasticas.

Res ecclesiasticæ non sunt unius ordinis; sunt enim primæ, vel primarum appendices.

Res ecclesiasticæ primæ sunt, quas Deus in verbo suo tanquam necessarias, ad interiorem animi nostri sanctificationem, præcipit & instituit. ut sunt Ministerium ecclesiasticum, in quo homo selectus res sacras dispensat. 1. Cor. 4. 1. 2. Sacramenta, quæ fœdus Dei obsignant, Rom. 4. 11. Et disciplina ecclesiastica, qua personalis applicatio voluntatis Dei fit per censuras, ad scandala vel cavenda vel tollenda ex ecclesia Dei, Matth. 18. 15. 16. 17. vel regimen spirituale, quo œconomia & politia domus Dei internè dispensatur & gubernatur, 1. Tim. 3. 14. 15.

Primarum appendices ſunt externi & ſacri ritus, ſeu cæremoniæ decori & ordinis cultus divini. Dico ritus ſacri ſeu cæremoniæ: Nam ut rectè Iunius De Politia Moſis Cap. 7. *In jure politico ſui ſunt imperati & ſolennes ritus: cæremoniæ vero proprie non niſi ſacræ obſervationes in cultu divino appellantur.* Obſervationes ordinis & decori propter Eutaxiam, non dicuntur propriè cæremoniæ, aut ritus ſacri; nam Eutaxiæ leges ſunt communes civilibus & ſacris: at actio externa quæ non eſt aliundè bona & laudabilis, niſi quia fit ad Deum colendum, ut genu flexio, & ſimilia, eſt cæremonia ſeu ritus ſacer; quia accommodatur ad ſignificandum cultum divinum, & in ordine ad voluntatem illam religioſam habet ſufficientem honeſtatem, in qua fundari poſſit cæremonia, ſeu ritus ſacer. Perſonæ eccleſiaſticæ ſunt, quæ vocatione eccleſiæ ſelectæ, ex jure ſpeciali res ſacras diſpenſant, 1. Cor. 4. 12. & 2. Cor. 5. 20. Miniſterii ſacri jus quidem communicatur hiſce perſonis per homines; ita tamen ut authoritas adminiſtrandi res divinas a Deo immediate iis communicetur, ſed deſignatio perſonarum, in quas confertur, fiat per eccleſiam.

Poteſtas, quæ verſatur circa res haſce, & perſonas eccleſiaſticas, eſt poteſtas eccleſiaſtica; vel objective tantum ratione objecti, quia in res ſacras exercetur: vel formaliter, ratione modi

modi, ſecundum quem verſatur circa res ſacras; quia nempe modo eccleſiaſtico, non civili, operatur circa res ſacras.

Poteſtas formaliter eccleſiaſtica, eſt authoritas res ſacras, ſi fidei ſint dogmata, publicè pro concione docendi, & hominum conſcientiis per exhortationes & redargutiones applicandi: ſi ſacramenta, ſecundum Chriſti inſtitutionem adminiſtrandi: ſi diſciplina eccleſiaſtica, ſcandala per eam prohibendi & tollendi, voluntatem Dei efficaciter & perſonaliter applicandi, ad ſcandalorum impugnationem & abolitionem: ſi ſacri ſint ritus & cæremoniæ, de iis deliberandi, earum veritatem ſcrutandi, juxta verbi divini normam: aut denique ſi regimen ſpirituale eccleſiæ, per publicas & eccleſiaſticas leges illud promulgandi, & ſtabiliendi, ut id populus fidelis religioſe amplectatur, & obſervet.

Hæc poteſtas formaliter eccleſiaſtica peculiaris, & propria eſt perſonis eccleſiaſticis, ſeu miniſtris, paſtoribus, & ſenioribus eccleſiæ: per eam enim exercetur regimen ſpirituale regni Chriſti Mediatoris; quod regimen ſoli eccleſiæ eſt concreditum, & demandatum. Eſt poteſtas ſpecialis juris, quia ſpecialia quædam officia reſpicit aliis illicita, & quædam officia communia ſpeciali quodam modo induit: quod jus pendet ex vocatio-

ne ad ministerium Hebr. 5. 4. qua vocatione munus ecclesiasticum alicui demandatur. Ad eos igitur solos pertinet hæc potestas, quibus vocatio ecclesiastica, & ex vocatione ministerium, seu functio ecclesiastica obtigit.

Potestas objective ecclesiastica est authoritas politicis mediis & potestate coërciva procurandi commune bonum omnium eorum, quos habet suæ jurisdictioni commissos, 1. Tim. 2. 2. Rom. 13. 1. 2. 3. Nulla res, persona, aut causa, tam est ecclesiastica, quin aliqua ratione pertineat ad potestatem hanc objective ecclesiasticam, quæ circa eam politice versatur. non tamen ei, cui hæc potestas objectivè ecclesiastica competit, tribuimus rectoris spiritualis potestatem, nec causarum spiritualium proprii judicis; non novos instituendi cultus, non peragendi sacra, aut iisdem interdicendi, aut aliis hoc jus deferendi authoritatem. sed ut veritatem illam, quam ex verbo justis mediis depromptam, & certissimis rationibus perspectam habet, authoritate sua promoveat, & ratam faciat, errores cultusque adversos tollat, videat denique ne quid ecclesia detrimenti capiat. Sed hæc, & si quæ alia, politice, civili potestate & modo peragit.

Hæc potestas objectivè ecclesiastica competit Magistratui, & quidem soli in omnes ecclesias, quæ in ditionis ejus terminis continentur.

Digitized by Google

nentur. Eſt enim poteſtas coactiva, externa gladio corporali armata; qualis non eccleſiæ miniſtris, ſed ſoli Magiſtratui propria eſt; eſt hæc poteſtas, non miniſterialis, ſed poteſtativa, architectonica, ſuprema; qualis formaliter eccleſiaſtica nulla hominibus eſt commiſſa, miniſtris eccleſiæ interdicta; ſed politica, Magiſtratui eſt demandata.

Hinc igitur Magiſtratui civili hæc ſequentia tribuimus circa res ſacras & perſonas eccleſiaſticas. 1. Quod habeat Dominium, ſupremam poteſtatem coactivam in perſonas, res, & actiones eccleſiaſticas, non qua tales, ſed quatenus ad externum hominem & civilia bona pertinent.

2. Conſtituit & ordinat pro imperio, & ſuprema poteſtate res externas, & periſtatica rerum ſpiritualium & verè eccleſiaſticarum, quæ proprie civilia, mundana, animalia, & βιωτικὰ ſunt.

3. Habet poteſtatem publicam, politicam, approbativam, & confirmativam, circa res ſpirituales, qua judicat & ordinat, non tantum judicio cognitionis; ſed & judicio, & ſententia definitiva, de negotiis & cauſis eccleſiaſticis: quod judicium proprium de eo eſt, an perſonas & res eccleſiaſticas, miniſterium & regimen ſpirituale eccleſiæ, velit publica authoritate ſub ſua juriſdictione tolera-

Digitized by Google

re, tueri, vel exequi. Quod judicium Magiſtratui competit ſupreme & abſolute ſub Deo, non dependenter ab eccleſia; idque jure divino. Hinc ſi Magiſtratus architectonica, & ſuprema hac ſua poteſtate abutens, definiat miniſterium eccleſiaſticum ſub ſua ditione non eſſe ſuſtentandum, nec defendendum, in ſegreges cœtus coibunt fideles, ut cultum Dei celebrent ſub miniſterio eccleſiaſtico; & ſi ne hoc quidem concedatur, clandeſtinos conventus agent; quod ſi fieri nequeat, pii inde decedent, cœtus diſſolvent, & fuga conſcientiæ ſuæ conſulent.

4. Magiſtratus etiam ex ordine divinitus præſcripto procurat poteſtate architectonica, ut res formaliter & merè eccleſiaſticæ, rite & legitime fiant & peragantur à perſonis eccleſiaſticis, ad eas peragendas legitime vocatis.

5. Poteſt etiam pro imperio & poteſtate ſua de eccleſia & eccleſiaſticis curam ſuſcipere, ut leges divinas & eccleſiaſticas, rite conſtitutas, & politice approbatas, obſervent. Et cum eccleſia in officio ſuo deficit, totuſque clerus eſt irreformabilis, poteſt eccleſiaſticos exhortari, imo poteſtate coactiva conſtringere, ut fideliter munere ſuo defungantur. Eccleſiam & fideles ejus miniſtros defendere & propugnare poteſt & debet.

6. Non

6. Non debet Magiſtratus poteſtatem hanc politicam, appobativam, confirmativam, coactivam exercere, circa regimen & res eccleſiaſticas, niſi prius eas cognoverit, & in conſcientia de bonitate ejus ſtatuerit. Ita ut & ei competat judicium diſcretionis de omni re, & ſententia eccleſiaſtica: ſicut & in Eccleſia omni fideli judicium illud diſcretionis competit: Magiſtratui vero potiori jure, quatenus ad legitimam officii executionem eo uti, & adhibere debet.

7. Statuimus etiam authoritatem hujus poteſtatis, ejuſque exercitii, non conceſſam, ſed & ejus neceſſitatem impoſitam eſſe civili Magiſtratui; ita ut ſi fideliter ex jure divino officio ſuo defungi velit, eam ſedulo adhibere debeat, circa res & perſonas eccleſiaſticas.

8. Nulla tamen poteſtas formaliter eccleſiaſtica Magiſtratui jure divino eſt conceſſa: hinc nullos actus formaliter & natura ſua eccleſiaſticos, qua Magiſtratus, ſeu vi ratione muneris & officii ſui obire aut peragere poteſt, aut debet; ut in ſequentibus in examine tertiæ quæſtionis probabitur

Hiſce præcipue cancellis ſeu limitibus poteſtatem Magiſtratus circa ſacra ex jure divino determinatam & concluſam exiſtimamus. Sed hæc omnia latius in ſequentibus ſunt extendenda.

CAP. II.

Examen Quæstionis primæ à Clarissimo Vedelio propositæ.

QVæstio est, *an Magistratus nullam potestatem habeat in rebus ecclesiasticis, quam ut sit defensor ecclesiæ, & executor sententiæ illius.* Recte Clarissimus Vir asserit certissimum esse, & extra omnem controversiam positum, Magistratum esse defensorem ecclesiæ, & propugnatorem ordinis divinitus instituti, adeoq; potestatis quam Deus dedit ecclesiæ suæ: etiam falsissimum esse, eum tantùm esse defensorem ecclesiæ, & executorem sententiæ illius. Quod multis testimoniis Reformatorum Doctorum rectissimè probat. Nos ejus assertioni & calculum nostrum adjicimus.

Et ut mundus reformatus cognoscat quantum a Pontificiornm sententia absimus, addimus differentias, in quibus Theologi prudentiores, qui controversiam hanc de jure Magistratus circa sacra penitus enuclearunt, differunt a Pontificiis, quorum sententiæ nos accedimus. Ita igitur *Cl. Voetius* qui doctissime & accurate hanc controversiam nuperrime nobis expediit in thesibus de potestate ecclesiastica. 1 *Magistratus tanquam dominus, quippe potestate dominante instructus, tuetur ecclesiam,*

am, ſecundum nos; tanquam miniſter tantum, ſecundum Pontificios. 2. Magiſtratus quà Magiſtratus judicat judicio conſequenti ſeu diſcretionis, an ſcilicet velit approbare antecedens & objectum, ſeu oblatum ſibi judicium eccleſiaſticum, ſecundum nos; ſed eccleſia ſola judicat judicio ſupremo, definitivo, & infallibili, quod ſimpliciter Magiſtratus, æque ac privati, tenentur amplecti, executioni mandare, abſque ullo præcedenti judicio, ſuper judicio eccleſiæ; ſecundum Pontificios. 3. Magiſtratus qua talis ſolus judicat publico politico & ſupremo judicio, an judicia & negotia eccleſiaſtica velit approbare; an vero tolerare tantum; an denique nec approbare nec tolerare; & conſequenter an & quomodo ſuam ſive approbationem, ſive tolerantiam, ſive contrarium ejus, publica authoritate velit confirmare, tueri, executioni mandare; ſecundum nos. Contra gladium debet ſtringere ad nutum ſacerdotis, & eſſe cæcus decretorum eccleſiæ executor, quotieſcunque eccleſia ita judicaverit expedire; ſive res, & rationes reipublicæ ferant, ſive non ferant; ſecundum Pontificios. 4. Magiſtratus ſiquidem in conſequenti judicio diſcretionis erret, atque adeo poteſtate ſua architectonica circa res eccleſiaſticas abutatur; tamen tituloillius poteſtatis gaudet ex jure divino & humano; nec poteſt eccleſia, qua talis, authoritatem ejus imminuere, nedum illi titulum & poteſtatem abrogare; arma enim ejus ſunt preces & lachrymæ,

&

& tantum patiendo ſeſe opponit ; ſecundum nos. Contra ſtatuit Papatus eccleſiæ directam aut ſaltem indirectam, in ordine ad ſpiritualia competere authoritatem ; qua Magiſtratus judicio ipſorum poteſtate ſua abutentes in ordinem redigant ; ſive per proprios ſubditos (quos à juramento fidelitatis abſolvunt) ſive per Principes vicinos. 5. Præter coactivam poteſtatem Magiſtratus , nullam aliam eſſe in republica , ſive penes eccleſiam , ſive penes curias Epiſcopales , &c. Præterea excommunicationes , & cenſuras eccleſiaſticas , nihil ſtatuere in hominem externum , eiuſque bona , jura , dignitates : nihil etiam detrahere politicæ poteſtati Magiſtratus circa ſacra : contraria omnia hîc ſtatuunt Pontificii. 6. Denique credunt Reformati Magiſtratum eſſe Epiſcopum eorum quæ extra ſunt (τῶν ἔξω) & eccleſiaſticos eſſe epiſcopos eorum quæ intus ſunt (τῶν ἔσω) in eccleſia ; ut optime diſtinguit Conſtantinus apud Euſebium in eius vita lib. 4. cap. 24. hoc Pontificii , ſiquidem hypotheſibus ſuis de poteſtate Papæ inhæreant, reipſa negant. Huc uſque *Cl. Voetius.* Inter Teſtimonia Reformatorum Cl. Vir allegat & judicium *Muſculi*, de quo cum *Cl. VValæo* annotat, eum in hac materia circa quædam recedere à communi conſenſu Doctorum Reformatorum, odio diſciplinæ Anabaptiſticæ , & Paſtoribus minus tribuere nonnullibi , quam par eſt; cum alioqui inſignis ſit Theologus, de

eccleſia

ecclesia Christi bene meritus. Quod & nos faciles concedimus; at simul annotamus alios quosdam reformatos, in ardore disputationis contra Pontificios, odio Hierarchiæ Romanæ, à judicio exacto hac in re deflexisse aliquantulum: item eos sæpe locutos secundum jura regni & reipublicæ, sub qua vivebant: vel etiam ex condescendentia propter temporum iniquitatem; & non secundum jus exactum à Deo Magistratui, seu ecclesiæ demandatum. Præcipue hoc animadvertendum in Theologis qui de primatu regio scripserunt sub regno Anglicano. De quo hæc *Cl. Voetius* annotat, *quod ibi tempore Papatus negotia Regis & ecclesiastica misere fuerunt confusa, quin & Papa tributarium sibi fecerat hoc regnum, nonnulla etiam peculiaria privilegia & regalia Regi remanserant, aut à Papa erant concessa, de quibus pluribus Henric. Salcolbrig. in Becanobaculo: non mirum ergo esset, si tempore Henrici octavi duro huic nodo durus fuisset quæsitus cuneus, ad excludendam omnem extraneam potestatem.* Vidit eruditorum mundus scripta *Lanceloti, Tookeri, Burchilli, Thomsoni, Salcolbrigiensis, &c.*: cum scriptis adversariis *Bellarmini, Becani, Eudæmonii, Capelli &c.* quibus de primatu regis ecclesiastico decertarunt: omnesque qui judicia typho mundi & magnatum assentationi mancipata non habent

satis

satis perspicue vident, quod Iliacos intra muros peccetur & extra. A scriptoribus Germanis, Helvetiis, & plerisque hierarchicis Anglis causa hæc ita implicata & confusa est, ut sanioris, & accuratioris Theologiæ Ideam, in hoc articulo, non invenias, nec exprimas, vide *Parei* præfationem in Hoseam, *Gualterum*, *Musculum*, & similes Germanisantes ab *VVttenbogardo* & Remonstrantibus in Apologia citatos. Ex nostris paucos invenias, qui ita causam hanc egerunt, ut tandem ex συγκαταβάσει quadam confusionem aliquam, aut collateralem conjunctionem aut combinationem utriusque, politicæ nempe & ecclesiasticæ potestatis, in executione regiminis, aut in particularibus casibus, non admittant. Ab illa tamen Charybdi aut Scylla sedulo cavendum. Puriores hac in controversia sunt Theologi Scoti qui de regimine ecclesiastico scripserunt, & quidam accuratioris judicii inter nostros, quorum vestigiis in hac nostra dissertatione insistemus.

17. Responsione ad interrogata circa primam quæstionem Vir Cl. ad determinandum quid Magistratus demum sit in ecclesia, ita decernit. 1. *Magistratus inquit respectu ecclesiæ, est præcipuum membrum ecclesiæ, & eo respectu partes etiam suas habet in vocatione ministrorum, quia Vocatio ministrorum ad totam ecclesiam pertinet.*

Quod

Quod accuratiori examine mihi dignum videtur: quod D. Professor asserit Magistratum etiam partes suas habere in vocatione Ministrorum, quatenus præcipuum membrum est ecclesiæ, ad partes revocandum erit quæstione quarta, ad illum igitur locum remittimus lectorem, ne alieno loco ea res tractetur. Hoc effatum vero hic considerandum, *quod Magistratus sit præcipuum membrum ecclesiæ:* quod ex sententia Cl. Viri sic intelligo; quod Magistratus Christianus religionem professus, qua Magistratus, seu quia Magistratus, seu ob dignitatem, potestatem, & eminentiam sui muneris & officii, quod possidet in republica, sit præcipuum membrum ecclesiæ. Hoc vero nobis à natura regni Christi, & ecclesiæ Dei, & à statu quem vera ecclesiæ membra sub regno Christi possident, quam alienissimum videtur. Ad hanc nostram sententiam statuminandam fundamenta sequentia subjicimus. 1. Quia externa, mundana, temporalia, quæ ad hujus vitæ usum pertinent, nihili sunt aut æstimantur sub regno Christi, & statum membri ecclesiæ non extollunt: vide loca Iac. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 2. Cor. 5. 16. Gal, 5. 6. &c.

2. Ecclesia est Christi corpus Coll. 1. 24. Nulla dignitas aut potestas externa constituit aliquem magis membrum Christi, aut majus & principa-

principalius membrum corporis Christi: sed fides, pietas, dona gratiæ & spiritus, quæ unicuique membro secundum mensuram impertiuntur; & munera spiritualia, donis spiritus adornata; constituunt hominem, ut sit oculus, auris, manus, pes, vel aliud aliquod membrum, majus vel minus præcipuum in corpore Christi, in ecclesia; ut patet ex 1. Corinth. 12 per totum. de quo loco Parkerus lib. 3. de disciplina ecclesiastica pag. 322. *& sane nihil aliud ex* 1. *Cor.* 12. 17. *concludi potest, quam præcipuorum membrorum excellentia, propter donorum & functionum varietatem.* vide & *Chamierum* pag. 12. de Pontifice Romano, qui ita inquit, *Apostoli mens est, ut à comparatione corporis humani doceat membrorum ecclesiæ coherentiam, quam non impediat, imo adjuvat potius, varia donorum Dei distributio. ideo membris corporis præstantioribus comparat eos, qui plura accepissent dona spiritus; ideoque locum illustriorem sortiti in ecclesia.*

3. Primaria & præcipua membra Christi in ecclesia à Spiritu Sancto prædicantur & statuuntur illi, qui primario qualitatibus spiritualibus cognitionis, fidei, pietatis, zeli, &c. induti & ornati fuerunt Phil. 3. 15. & Heb. 5. 12. 13. 14. etiam inter Apostolos Gal. 2. 9. vide commentatores ad locum illum.

4. Apostolus minimos, & infimi loci membra

bra, agnoſcit apte ad dignitatem judiciorum, de rebus hujus vitæ, promoveri poſſe in eccleſia 1. Cor. 6. 1. 2. 3. 4 Et proinde tanti non eſſe illam poteſtatem, ut in præcipui membri eccleſiæ ſtatum, hominem extollat aut evehat.

5. Qui præcipui ſunt in prærogativis, & privilegiis eccleſiæ, non tantum internæ, myſticæ, & inviſibilis, ſed & externæ ac viſibilis, & in actionibus, exercitiis, operibus, & effectis eorum, illi ſunt præcipua eccleſiæ membra; atqui non Magiſtratus ob dignitatem ſuam politicam & temporalem; ſed fideles ob qualitates ſpirituales fidei, charitatis, & communionis cum Chriſto, præcipui ſunt in privilegiis, fructibus, operibus, & effectis, quæ ab eccleſiæ forma, eſſentia, ſeu natura dependent. Forma enim Eccleſiæ, ut recte *Ameſius* in Medulla, interne, myſtice & inviſibiliter conſideratæ, eſt fides: ut enim fides in ſingulis fidelibus exiſtens diſtributive, eſt forma vocatorum; ita in omnibus collective ſpectata, eſt cœtus vocatorum, id eſt, eccleſiæ forma. Prout vero eccleſia ratione affectionis, adjuncti, & modi accidentalis, nempe viſibilitatis conſideratur, ejus forma eſt internæ fidei profeſſio externa, ſeu viſibilis illa communio ſanctorum, quam habent cum Chriſto, & inter ſe. Communionis cum Chriſto

actus

actus illi sunt visibiles, quibus sistunt se Deo in Christo, ad participandas ejus benedictiones; & ad gloriam earum ipsi tribuendam. Communionis inter se actus sunt illi omnes, quibus alii aliis invicem benefacere student; sed præcipue illi, qui directe faciunt ad communionem eorum cum Deo in Christo promovendam. Examinetur jam in quibus forma illa ecclesiæ utroque modo consideratæ, actus ex forma illa fluentes, opera, effecta, beneficia, & privilegia à forma illa dependentia, præcipue inveniantur: luce meridiana clarius patebit, nisi sponte ad solis radios excutire velimus, magis præcipue & digniori gradu, hæc omnia inesse iis, qui maxime spiritualibus donis & qualitatibus sunt exornati; & non Magistratui ob dignitatem muneris. Fatemur quidem Magistratum, qui est membrum ecclesiæ, esse primarium, quoad statum externum, politicum, temporalem, mundanum hujus vitæ; imo & esse Dominum, Regem, Monarcham, & supremam politicæ communitatis potestatem: sed non quatenus est ecclesiæ membrum; est enim fallacia accidentis, & non valet consequentia à divisis ad conjuncta: sin minus, non tantum præcipuum, sed & dominans, regium, monarchicum ecclesiæ membrum, id est, Papa politicus esset. Si Magistratus primario donis spirituali-

ſpiritualibus ditatus, exemplares & heroicas virtutes & opera proferat, & officio vindicis & cuſtodis tabularum legis, & nutricis eccleſiæ, recte & legitime, pro eccleſiæ libertatibus & jure ſedulo defungatur; lubentes eum ut præſtans & electum eccleſiæ membrum, exoſculamur & veneramur: idque ratione donorum ſpiritualium, & præſtantium ipſius operum, cum fructibus ex iis exurgentibus, quos eccleſia ex ejus labore & cura recipit: hoc reſpectu recte, noſtro judicio, *Cl. Iuniius* obſervat in Bellarm. controver. 3. lib. 1 cap. 7. not. 2. *Magiſtratus, qua Magiſtratus, inquit, eſt humanæ ſocietatis caput, humana ordinatione: qua Chriſtianus vero; eſt divinæ ſocietatis in eccleſia membrum; divina ordinatione; & in eadem cuſtos & vindex ordinis, ut membrum electum ipſius.* Novi hoc titulo Magiſtratum quandoque exornari, præcipue à Cll. & ſummæ eruditionis Theologis D. D. *VValæo* & *Thyſio* præceptoribus meis, quibus maximam ſtudiorum meorum partem, gratumque animum, & omnem obſervantiam debeo, judicii vero ſervitutem non debeo. Iudicent eruditi, an aliquo reſpectu, aut modo, Magiſtratus poſſit vocari præcipuum eccleſiæ membrum; quam vel ratione mundani ſtatus, & politicæ dignitatis, valde catachreſtice per fallaciam accidentis; vel ratione ſpiritualium donorum

Digitized by Google

& bonorum operum, proprie Synonymice & in casu recto.

II. Loco asserit Cl. Vir, ut ostendat quid demum Magistratus sit in ecclesia, *quod Magistratus respectu ecclesiæ, sit director ordinis externi ecclesiæ, imperio & gladio armatus, & quod ideo potestatem habet reliquam, quam ipsi in disputatione attribuit, ut custos & vindex est utriusque tabulæ legis.* Hic ne de individuo vago, & subjecto incerto loquamur, examini subjiciendum est, 1. Quid per ordinem externum ecclesiæ intelligatur. 2. Quodnam sit officium directoris imperio & gladio armati, circa ordinem externum ecclesiæ.

Ordine externo denotari potest dispositio omnium rerum externarum, visibilium, & in sensus incurrentium externos, quæ in ecclesia visibili peraguntur; etiamsi vere, sua natura, ad spirituale & ecclesiasticum proprie dictum regimen pertineant. Et ita sub se comprehendit ordo externus etiam omnia externa, & visibilia, seu sensui subjecta, quæ in celebratione Sacramentorum, disciplinæ ecclesiasticæ exercitio, verbi prædicatione, totoque ecclesiæ regimine occurrunt: ut aspersio aquæ in baptismate, fractio & distributio panis in cœna, concio peragenda & proferenda in ecclesia quoad materiam & formam, abstentio à sacramentis, totumque choragium cæremoniarum

niarum & rituum ſacrorum, & ſpiritualis regiminis. Quæ omnia externa ſunt, & externo ordine paraguntur.

Vel denotat ordo externus extranea adjuncta, accidentia, quæ extrinſecus actionibus eccleſiaſticis adjacent, & ex vita communi & rebus temporalibus accedunt; quæ conſiſtunt in choragio circumſtantiarum externarum, politicarum, quæ ſpiritualibus rebus connexæ ſunt, ut eſt politici & externi ſplendoris in cultu divino publico determinatio & ordinatio &c. ita ut res ſpirituales, qua tales, in ſe & per ſe non comprehendantur ſub hoc ordine: ſed res & actiones politicæ externi hominis, cum omnibus adjunctis & circumſtantiis quæ rebus ſpiritualibus adjacent & implicitæ ſunt: quatenus ſcilicet ſpiritualia ſymbiotica in hoc mundo non poſſunt conſiſtere, & peragi, ſine perſonis, rebus, actionibus, adjunctis, & circumſtantiis talibus, quæ directe & per ſe ſubjacent ordini externo mundano.

Quæ ſub ordine externo priori modo accepto comprehenduntur nullius authoritati, poteſtative & peremptorie dirigenti, per ſe ſubjiciuntur; imperio enim ſolius Dei & Chriſti ſubſtant; & eccleſiaſticorum, non inſtitutione oriuntur, nec poteſtate & imperio diriguntur, ſed miniſterio, & exercitio

Digitized by Google

in ecclesia dispensantur. Circa ordinem externum ecclesiæ, & rerum spiritualium, secundo modo acceptum, potestas, suprema imperatoria, gladio & vi armata (quæ tamen sua natura per se & proprie est politica, non spiritualis aut ecclesiastica) competit Magistratui, & quidem soli, ratione officii & dignitatis. Quæ potestas non tantum est dirigendi, sed & instituendi & ordinandi pro imperio: sunt enim res sua natura & proprie civiles, politicæ, externi hominis; quorum omnium ordo, directio, & regimen ex jure majestatis Magistratui competit.

Officium vel potestas directoris est, vel 1. Ordinem externum ecclesiæ instituere, producere, ordinare; 2. Curare & pro imperio excitare ecclesiam, ad hujus jnstituti ordinis observantiam; 3. Ita res ecclesiæ dispensare, regere, ut ordo ecclesiæ institutus in cœtu fidelium obtineat, & in exercitio rerum spiritualium executioni demandetur. 4. Refractarios et inobedientes punire & mulctare.

Hæc officia ad ordinem ecclesiæ externum priori modo consideratum, relata, non uni, sed variis competunt. Ejus enim institutionem & ordinationem soli Deo vindicamus, ut supremo Legislatori, & unico Magistro in ecclesia, in regno suo. Cura qua ecclesia spirituali jurisdictione adigitur ad ordinem divinitus

nitus inſtitutum ſervandum, paſtoribus, preſbyteriis, Claſſibus, & Synodis competit; & poteſtas qua eccleſia ab officio ceſſans, in ſtatu ejus corrupto & perturbato, cum totus clerus eſt irreformabilis, vi & imperio adigitur ad ejus ordinis obſervantiam, Magiſtratui competit; ut utriuſque tabulæ legis cuſtodi & vindici, eccleſiæ nutricio & defenſori. Diſpenſatio & regimen, quo ordo à Deo inſtitutus in conventu fidelium executioni demandatur, miniſtris vindicandum, ut diſpenſatoribus myſteriorum Dei, & eccleſiæ μαγιστῶσι 1, Cor. 4. 1. 2. 2. Tim. 5. 17. Pœna vero in inobedientes & refractarios, qua ordo eccleſiæ à contemptu & violatione vindicatur, omnibus competit; Deo, qui eam ſuis judiciis & caſtigationibus exequitur: Magiſtratui, qui vi & gladio externo, modo quodam eam exercet: eccleſiæ, quæ verbo reprehenſionis, & gladio ſpirituali eccleſiaſticæ cenſuræ tranſgreſſoribus eam infligit.

Si vero officia hæc directoris ad ordinem eccleſiæ externum ſecundo modo conſideratum referantur; hic inſtitutio, ordinatio, cura, vindicta erga hujus ordinis tranſgreſſores, Magiſtratui deferenda eſt; ejus diſpenſatio vero in cœtu fidelium eccleſiæ, id eſt, μαγιστῶσι & iis quibus præſunt miniſtri, demandatur à Magiſtratu; ſi obediens ſit eccleſia, paterno

nutricis affectu; sin inobediens & refractaria, vi, & gladio externo.

In hac sententiæ nostræ declaratione & determinatione, quid à Cl. D. Doctore reprehendi possit, nullus video; nisi forte id ipsi parum veritati & ipsius sententiæ consonum videatur, quod in directione ordinis ecclesiæ priori modo considerati Magistratui solam curam tribuam, qua pro imperio procurat, ut ordo iste ab ecclesia rite & ex præscripto verbi Dei observetur; & quod ei adimam hujus ordinis institutionem, quam soli Deo vindico, & dispensationem, quam ecclesiæ pastoribus & διακόνοις trado. Hoc si neget parata erunt omnia argumenta ab orthodoxis Theologis in Pontificios vibrata, quibus probant, res & ritus sacros, & totum cultum institutum, hominum imperio, & humanis præsumptionibus esse eximendum, & nullo modo subjiciendum. Hæc etiam sententiæ orthodoxæ declaratio, & determinatio, si obtineat, in sequentibus luce clarius ostendet, potestatem illam reliquam, quam Vir Cl. Magistratui in disputatione hac attribuit, ei non competere, ut custodi & vindici utriusque tabulæ legis; sed eum potestatem Magistratus ultra verbi & legis divinæ tabulas extendisse; ubi enim legis tabulæ, quæ Magistratui potestatem formaliter ecclesiasticam tribuunt? Ipsum

um præſidem principalem, & judicem corporali gladio & poteſtate coactiva externa armatum, in rebus ſpiritualibus & mere eccleſiaſticis, conſtituunt. &c.

III. Ad quæſtionem, an Magiſtratus habeat munus aliquod in eccleſia; reſpondet Vir Cl. *quod proprie loquendo, munus in eccleſia non habeat, ſed quod habeat poteſtatem coactivam, externam in eccleſia, ſeu potius circa eccleſiam, ſive circa res & perſonas eccleſiaſticas, tanquam cuſtos & vindex utriuſque tabulæ legis, & tanqnam nutricius & defenſor eccleſiæ. Quæ quidem poteſtas exponitur in corollario interrogatorum diſtinctione regni generalis & ſpecialis Dei.* Multa hic occurrunt, quæ ſedula & exacta conſideratione ſunt digna, quæ hic in genere notata, lucem inferre poſſunt ſequentibus quæſtionibus particularibus. Primo accipimus quod D. frater concedit, Magiſtratum proprie loquendo munus in eccleſia non habere, quoniam nullo miniſterio eccleſiaſtico defungatur. Hinc enim firmiſſime & legitima conſequentia inferimus, Magiſtratum nullas actiones miniſterii eccleſiaſtici poſſe obire, quæ ex vocatione, dono, ſive poteſtate miniſterii eccleſiaſtici peraguntur, & ſolummodo peragi poſſunt: proinde ſpiritualem jurisdictionem diſciplinam eccleſiaſticam exercere, vel ſolus, vel cum aliis, ratione ſui muneris non poteſt; nec pu-

blicum judicium de fide rebuſque divinis pronunciare, cum nec prophetiæ dotibus inſtructus, vocatione & functione deſtituatur, quæ hanc provinciam ipſi tribuat. Quemadmodum enim jus nemini fit, publice evangelium docendi, vel adminiſtrandi ſacramenta, niſi legitimam vocationem et functionem nacto: ita nullus, ne Magiſtratus quidem, ſuo arbitratu publice ſententiam de cauſis juriſdictionis ſpiritualis ſeu fidei dicere, niſi vocatus, poteſt. Hoc enim nihilo minus, quam iſta, in publicis eccleſiæ actionibus, & miniſterii eccleſiaſtici functionibus propriis, numerari debet.

Deinde expreſſe ſupponit D. Profeſſor, *quod Magiſtratus habeat poteſtatem coactivam externam in eccleſia, ſeu potius circa eccleſiam, ſive circa res & perſonas eccleſiaſticas* Poteſtas Magiſtratus dicitur poteſtas coactiva externa in eccleſia, phraſi (meo judicio) ambigua & periculis plena, tutius vero ſecundum jus divinum, & ex ſenſu orthodoxorum Theologorum dicitur poteſtas circa eccleſiam, ſive circa res, & perſonas eccleſiaſticas. Poteſtas igitur eſt, quæ figurate, metonymice, objective tantum eſt eccleſiaſtica, quæ per ſe, ſua natura, & formaliter eſt politica: omneſque actiones quæ per eam, & ex ea producuntur, ſunt actiones natura ſua & formaliter civiles, actiones vero eccleſiaſticæ, quæ

internum

internum & ſpiritualem effectum qui pertingit ad animam producunt, & ad eum tanquam ad finem ſuum proprium, proximum, & immediatum tendunt, ex alterius generis poteſtate eccleſiaſtica nempe & ſpirituali, fluunt, quæ toto genere, ut ajunt, ab hac Magiſtratus poteſtate politica, & objective, figurate eccleſiaſtica differt. Vt igitur pateat hanc principis, ſeu Magiſtratus poteſtatem, eſſe natura ſua formaliter, politicam ſeu civilem, hæc argumenta ſubjicio.

I. Eſt enim poteſtas αὐτοκρατορικὴ imperatoria, gladio corporali, & vi externa armata, eſt poteſtas ſuprema, nulli niſi Deo ſubjecta, qua ut dominus gubernat & regit Magiſtratus ex imperio. Talis poteſtas eccleſiaſtica nulla datur, quæ omnis miniſterialis eſt; Et eſt poteſtas tantum agendi ex imperio alieno & mero obſequio 1. Cor. 4. 1. 2. et 2. Cor. 4. 1.

II. Poteſtas Magiſtratus circa eccleſiaſtica in unius arbitrio & manu conſiſtere & ſubeſſe poteſt, regis nempe in regno ſuo; qui ſolus proprio motu & voluntate omnem illam poteſtatem exercere poteſt: at poteſtas eccleſiaſtica ſeu regiminis eccleſiæ non uni alicui eſt demandata, ſed multis, eccleſiæ, Matth. 18. 1. Cor. 5. In cujus manu hæc poteſtas eſt, ex cujus arbitrio ejus exercitium dependet: Ariſtocraticum

craticum enim Democratia mixtum est ecclesiarum regimen, non Monarchicum; ut hactenus adversus Pontificios probarunt Reformati.

III. Potestas Magistratus judicia sua exequitur modo carnali, gladio corporali, & vi coactiva, externa, armata: ecclesiastica vero spirituali modo, dum ex præscripto verbi Dei, censura, objurgatione, suspensione & excommunicatione in peccatores utitur. 2. Cor. 10. 4. 6.

IV. Magistratus in exercenda potestate sua huc respicit, ut legum suarum authoritate stabilita, civium bona & corpora, & disciplinam externam tueatur, humanam societatem quietam & tranquillam præstet. Ecclesiasticæ vero potestatis finis est, ut peccator ad salutem resipiscat, & commune ecclesiæ bonum, sublato offendiculo, procuretur. 1. Cor. 5. 5. 6.

V. Magistratus potestatem suam circa ecclesiastica exercet in omnes ecclesias suæ ditionis, Rex per totum regnum imperio ipsius subjectum; princeps in omnes principatus sui ecclesias; Magistratus urbis, in omnibus pagis, & vicis jurisdictioni, & districtui urbis subjectis. At potestas ecclesiastica ordinaria, prima, non orta, qua regimen ecclesiæ perpetuo & semper dirigitur, est ecclesiæ particularis

cularis, parochialis, non diœceſianæ; nec diſtrictu, aut juriſdictione mundana limitatur ſed Dei inſtitutione & præceptis.

VI. Omnis Magiſtratus poteſtas ſubordinatur regno Dei univerſali eique inſervit, ut miniſter Dei in regno hujus mundi, ſeu in regno potentiæ Dei. At poteſtas formaliter eccleſiaſtica, non eſt de regno hujus mundi, ſed ſubſervit regno Chriſti Mediatorio. Hinc igitur evidenter elicimus, poteſtatem Magiſtratus, eſſe civilem, formaliter politicam, hujus mundi, externi hominis.

Porro; hanc poteſtatem externam coactivam circa eccleſiaſtica aſſerit Vir Cl. quod Magiſtratus habeat *tanquam cuſtos & vindex utriuſque tabulæ legis, & tanquam nutricius & defenſor eccleſiæ.* Hiſce titulis, qui ab Orthodoxis recte Magiſtratui tribuuntur, ſæpe in ſequentibus lectori illudit, & fucum facit D. Profeſſor, ut deviam quam fovet ſententiam ſtatuminet: ſæpe etiam ab aliis præcipue politicis, in abuſum rapiuntur, ut in iis fundent, poteſtatem Magiſtratus, neſcio quam eminentem, & præcipuam in rebus ſacris & ſpiritualibus regni Chriſti. Nos hoc loco quodnam jus & officium Magiſtratus iis titulis exprimatur, ex ſcriptura & ratione Theologica explicamus, ut in ſequentibus appareat, nulla ratione, conſequentia inepta & fallaci eccleſia-

Digitized by Google

ecclesiasticam Christiani Magistratus potestatem iis statuminari.

De eo igitur, quod Magistratus sit custos & vindex legis, notandum 1. Quod hoc jus & officium ei competat, ut minister Dei est, in regno hujus mundi, competit enim omni Magistratui, etiam infideli Rom. 13.1.2.3.4.

2. Competit et hoc jus omni patrifamilias in domesticos ipsi subjectos, eos enim sua authoritate constringit, ut legi Dei obediant.

3. Hisce titulis potestas Magistratus ordinatur sub Deo, & ejus lege, ita ut nihil sibi arripere possit, quod aliis ex lege competit; Et potestas ejus iilis limitibus ligata subsistere debeat, qui divina ordinatione firmati sunt; proinde quod ipsi sit erubescendum, si absque lege, ejusque tabulis, et testimoniis, quidpiam; pro potestate et imperio agat.

4. Hisce titulis omne quod ex lege Dei ab aliis fieri debet, ipsi non subordinatur nec mandatur exequendum, sed hoc tantum præcipitur, ut subditos inducat ut officia demandata fideliter exequantur. Hinc ut jus Maritale, quod maritus habet in uxorem, et potestatem patriam, quam parentes habent in filios, et dominium utile, quod privati habent in facultates et bona sua, sibi vindicare et arripere non potest Magistratus; quia custos et vindex

legis

legis eſt, in qua harum rerum jus præcipitur: ita nec eccleſiaſticum jus, poteſtatem miniſterii ſibi arripere, nec ejus actus obire poteſt, quia vindex et cuſtos eſt legis. Sed ſicut poteſtas Magiſtratus, ut cuſtos et vindex eſt utriuſq; tabulæ legis, tantum eſt poteſtas objectiva ſeu extrinſeca, et directiva circa poteſtatem conjugalem et patriam, ejuſque conſtitutionem et uſum, et realiter ab ipſa eſt diſtincta: ita ut poteſtas maritalis et patria formaliter ſic dicta, ſoli marito et parentibus, non regi aut ſenatui competat. Sic etiam poteſtas Magiſtratus circa ſacra, tantum objectiva, extrinſeca, directiva eſt, et realiter à poteſtate eccleſiaſtica diſtincta; quæ poteſtas eccleſiaſtica ſoli eccleſiæ competit, non Magiſtratui, utriuſque legis tabulæ cuſtodi et vindici. Quam infirmum ac debile fundamentum conſtituat hic titulus ad eccleſiaſticam Magiſtratus poteſtatem circa ſacra ſtatuminandam, ipſa rei natura indicat, et quæ ſequuntur dilucidius oſtendent.

Vocatur etiam Magiſtratus nutricius et defenſor eccleſiæ ex verbis Eſaiæ 49. 23. qui titulus Magiſtratui competit cum fidelis, Chriſtianus, orthodoxus omnem ſuam potentiam et dignitatem infert in eccleſiam, ut eã exornet, defendat, foveat et extollat. Hinc notandum 1. omnem poteſtatem Magiſtratus nutricis et defenſoris eccleſiæ eſſe cumulativam, non privativam, in liber-

libertatibus quas Christus tradidit ecclesiæ. Nam non debet detererior esse ecclesiæ conditio sub Magistratu Christiano, fideli, fautore, nutricio, & defensore; quam sub ethnico, infideli, heterodoxo, persecutore: nec minui, sed augeri debet libertas ecclesiastica: quod à sponso ecclesiæ Christo confertur ecclesiæ sponsæ, non transfertùr in principem Christianum defensorem. Potest potestatem collatam ecclesiæ approbare, propugnare; sed potestate collata, ejusque exercitio privare, non potest: tollere enim libertatem, quam Christus ecclesiæ sponsæ suæ tradidit, sacrilegium est, rapina est.

II. Iure & officio defensoris, nutricii, temporalia commoda ecclesiæ submisirat; templa ad cultum Dei publicum extruit, alimenta pastoribus in ecclesia ministrantibus constituit &c. Hinc immensa beneficia à principibus, qui Christo se suaque omnia addixerunt, in ecclesiam proficisci, jampridem experimentis haud obscuris compertum habemus: sed ideo ecclesiæ politiam ab Apostolis constitutam, & cum incredibili veræ pietatis augmento passim observatam, sub illorum imperio immutari debuisse, id vero pernegamus. *Qui enim templum extruere, dotem assignare, & expensas clericis ministrare non vult, nisi ea lege ut potestatem in ecclesia sibi acquirat*

quirat, ſimoniacum & impium ego dixerim, non pium & religioſum, inquit author doctiſſimus, accutiſſimus, & in controverſiis de regimine eccleſiæ verſatiſſimus David *Calderwood*, qui conſcripſit Altare Damaſcenum pag. 291.

III. Vt nutricius & defenſor eccleſiæ Magiſtratus Chriſtianus jura & libertates eccleſiæ à damno & illata injuria vindicat, reumque ad damnum reſarciendum, & civilem ſatisfactionem adigit; ſi quis etiam extraneus, ſive infidelis, ſive excommunicatus violare vellet ſacra, & interturbare exercitia cultus divini in eccleſia, brachii ſecularis auxilio eum in ordinem cogere poteſt: omnia impedimenta falſi cultus, perſecutionis, oppreſſionis, removet authoritate & vi externa.

IV. Vt defenſor & nutricius eccleſiæ ſpiritualia eccleſiæ jura fovet, exercitia cultus Dei laudat, propugnat, frequentat; ſpiritualem eccleſiæ poteſtatem agnoſcit, ei ſe & ſua ſubjicit: beneficia, quæ ex eccleſia in perſonas, ad animarum ſalutem, & in regimen politicum, ad ejus dignitatem, potentiam inter ſubditos fulciendam effluunt, amat, extollit, magni-æſtimat: & uno verbo omnem ſuam potentiam applicat, ut ſubditos ad pietatem & obſervantiam erga eccleſiam, & cultum Dei qui in eccleſia exercetur, excitet;

&

et ecclesiæ libertatibus, juri, potestati, ministerio, et eorum exercitiis, fomenta, media, augmenta, excitamenta &c, Pro muneris sui ratione et modo conferat et submini-stret. O si Magistratus, pius, Christianus, jus nutricis et defensoris ecclesiæ, ex verbis prophetæ Esaiæ 49:7. 23. dirigere, applicare et executioni mandare vellet in omni negotio ecclesiastico peragendo! Ausim asserere effecta illa magnifica, insignem illum pietatis honorem, incrementa illa piorum, esse subsecutura, quæ toto illo capite à Propheta conscribuntur.

5. Ipse tamen vi sui officii spiritualia nutrimenta ecclesiæ per se non administrat, nec ubere verbi aut sacramentorum, nec œconomica dispensatione domus Dei, nec regimine interno ecclesiastico lactat, aut nutrit: quæ omnia solum ecclesiasticum ministerium præstat, et per se subministrat, ex institutione Dei.

Denique Vir Cl. indicat *quod potestas Magistratus exponatur in Corollario distinctione regni generalis & specialis Dei.* Nos vero hanc distinctionem admittimus, sola enim sufficit ad controversiam hanc determinandam: et hoc loco illam explicamus, agit enim de potestate Magistratus et ecclesiæ in genere. Vir Cl. distinctionem hanc admittit, *modo non adhibeatur*

hibeatur ad poteſtatem Magiſtratui eripiendam, quam verbum Dei illi attribuit pag. 123. Vt pateat nos Magiſtratui nullam poteſtatem ereptam velle, quam jure divino verbi Dei poſſidet, ὑπόλυπωσιν ſanantium verborum delineabimus, de regno Dei univerſali, & ſpeciali Chriſti Mediatoris; & de ſubordinatione muneris Magiſtratus, & eccleſiæ, ſub utroque hoc regno.

I. Regnum, & Dominium, Chriſti Mediatoris œconomicum, diverſum, & aliud eſt, à regno Dei, & dominio filii Dei naturali, univerſali, quod filio Dei competit, quatenus unus cum Patre Deus eſt; quod regnum excellentiæ, & majeſtatis divinæ, independens, primum, & ſupremum eſt. Regnum enim univerſale, & dominium naturale, unum idemque pater cum filio & Spiritu Sancto communiter poſſidet, qua ὁμοούσιος Deus: at regnm ſpeciale, œconomicum, Chriſto proprium, & peculiare eſt, utpote quod Mediatorio ipſius munere innititur, & ex eo, ejuſque actibus fluit, & conſtituitur.

II. Hiſce igitur differentiis hæc regna diſcriminantur. 1 Quod regnum Mediatorium Chriſti, ſeorſim ſecundum œconomiam ſumptum non eſt abſolute ſummum, ſeu primum; ſed Deo ſubordinatum, ab eo dependens, & in eo Rex Mediator Deo minor & inferior eſt,

ei inæqualis, ejuſque ſervus, 1. Cor. 11. 3. Eſa. 42. 1. Ioh. 14. 28. 1. Cor. 3. ult. quæ de regno naturali, univerſali, divino dici non poſſunt.

III. Regnum œconomicum eſt adjunctum, filii Dei temporarium, & contingens ex libero Dei decreto; ut ipſa Mediatio, cui innititur; at dominium Dei naturale eſt attributum divinum, ex majeſtate & excellentia ſuprema divinæ naturæ neceſſario conſequens. Hinc quoad vim, poteſtatem, & majeſtatem hujus regni, id Deo proprium fuit ab æterno; quoad actum & exercitium, à mundi creatione: at ante lapſum, & ante promulgationem muneris Mediatorii, filius Dei actu non poſſedit regnum & dominium œconomicum.

VI. Ius dominii Mediatoris nititur merito ſatisfactionis, qua eccleſiæ loco defunctus eſt Mediator; dominii vero naturalis & univerſalis jus poſſidet Deus, a natura divina, & nititur deitatis ὑπεροχὴ, ſeu excellentia. Hinc actus et effectus dominii Mediatorii eſt acquiſitio gubernatio & defenſio eccleſiæ pſal. 110. Regni univerſalis vero eſt providentia, gubernatio, & diſpoſitio de rebus omnibus totius mundi.

V. Regnum Dei univerſale peccatum non tollit, nec rebellionem hominis adverſuslegem, & præcepta Dei homini injuncta, ſanat; ſed diſponit-

ponit, ordinat, & providentia gubernat. Regnum vero Mediatoris oeconomicum eſt ſalutare, & efficax ad ſalutem eorum, in, & pro quibus exercetur, & illud ſuſtinet Mediator Ier. 23. 5. 6. Nam regnum mediatorium conſideratur, vel quatenus eſt oeconomicum, & domeſticum, quo reſpectu ἀναλόγως vocatur caput naturale a Theologis, ſive capitis naturalis ſimilitudinem gerit, & eccleſia corporis naturalis; quia eccleſiæ vitalem ſpiritus virtutem infundit; & illa a Chriſto, tanquam capite naturali ſpiritualiter vegetatur, & gubernatur. Vel conſideratur, quatenus eſt regnum & dominium politicum, quo reſpectu etiam ἀναλόγως eſt caput politicum, ſeu ſimilitudinem capitis politici gerit Chriſtus; quatenus nempe externe regit eccleſiam, & per regimen eccleſiæ, ſeu politiam & diſciplinam eccleſiaſticam, efficaciter ad ſalutem perducit eccleſiam.

Munus & poteſtas, quam gerit Magiſtratus, non ſubordinatur regno Chriſti Mediatorio, ſed regno Dei univerſali; & quæ in adminiſtratione, & regimine, regni ſpiritualis Mediatoris Chriſti agenda ſunt, ipſe obire ratione muneris, nec poteſt, nec debet: ſed quæ adminiſtrationem regni univerſalis Dei concernunt, et miniſterio hominum, in hoc mundo peragenda ſunt, ipſe ratione officii ſub Deo

d by Google

præstat. Quod sole clarius videri potest, ex rationum momentis ex intima Theologia petitis, quæ subsequuntur.

I. Institutio & ordinatio potestatum supereminentum non exorta est ex officio Christi mediatorio (fuisset enim ex sententia Theologorum ante lapsum, si homo in statu integritatis permansisset. vide Ioh. Geerardum tract. de Magistratu politico part. 1. cap. 2. quæst. 1. in locis communibus, cum Theologis ibidem citatis) sed ex creationis, generationis, et hominum multiplicatio..is lege: Etiam jure naturali et gentium constat, et stabilitur illa ordinatio; hinc Magistratus ethnici et impii ordinatio, et authoritas est à Deo. Illa igitur, quæ in administratione et regimine regni Christi spiritualis mediatorii peragenda sunt, ratione sui muneris obire non potest.

II. Munus Magistratus non datur ecclesiæ sub novo testamento ex missione Christi mediatoris exaltati; ut omnia munia, quæ ad regimen, et administrationem regni mediatorii sub novo Testamento instituta et ordinata sunt in populo Dei Ephes. 4. 11. 12. sed institutum est à Deo hujus mundi gubernatore, bonis bona largiente, malis pœnas infligente, Rom. 13. 1--6.

III. Magistratus ratione sui muneris custos, et vindex est legis, et hoc intendit, ut homi-

nes

nes ad legis obſervantiam adducantur & compellantur Deut 17. Regum. 13. Evangelio vero, ut id effectus ſuos ſalutares, fidem & reſipiſcentiam ſecundum Deum, in homine producat, per ſe, & vi ſui muneris, non ſubſervit; nec procurat, aut producit immediate per ſe illa dona Evangelii ſpiritualia, quæ animarum ſalutem tangunt. At vero totum Chriſti regnum mediatorium, omniſque ejus adminiſtratio, & regimen per ſe et ſua natura, Evangelio ſubſervit, effectus Evangelii ſalutares vi inſtitutionis, qua ad animarum ſalutem, fidem, et reſipiſcentiam tendit, producit, efficit.

IV. Magiſtratus ratione ſui muneris non eſt nec dicitur in ſcripturis, miniſter Chriſti mediatoris, in nomine Chriſti munus ſuum obire, Chriſti legatus, ſeu in Chriſti nomine legatione fungi; proinde Regi huic, in regno mediatoris, non ſubſervit; ſed extrinſecus advenit, ut diſpenſationi, regimini, et adminiſtrationi ejus regni, pro modo et natura ſua, per accidens, ea conferat in ſubſidium et auxilium, quæ externum hominem attingunt.

V. Chriſtus ipſe totum regimen et adminiſtrationem regni ſui mediatorii, omnia munia officia et functiones ejus ſuſtinuit, eaſque omnes, ſive in propria perſona, ſive per diſcipulos obiit, dum in terris ageret, quæ ad mini-

Digitized by Google

ſterium et adminiſtrationem hujus regni pertinent. At Magiſtratus munia nunquam ſuſcepit, eorum functionem à ſe rejecit, apoſtolis ſuis interdixit; utpote quæ ſub officii, regni, muneriſque ſui adminiſtratione, tanquam proprie ſubordinata, non continebantur.

VI. Regnum Chriſti œconomicum non eſt de hoc mundo Ioh. 18. 36. tota ejus adminiſtratio conſiſtit non vi coactiva, externa, dominio, et imperio per arma carnalia; ſed conſiſtit in homine interno Luc. 17. 20. domus ſpiritus Rom. 14. 17. peragitur cum demonſtratione Spiritus, et convictione hominis interni, ſeu conſcientiæ, per manifeſtationem veritatis, et arma ſpiritualia 2. Cor. 4. 1. 2. et 10. 4. Pſal. 110. 1. 2. Eſa. 11. 4. Hebr. 4. 12. adminiſtratio vero poteſtatis Magiſtratus, ratione et vi ſui muneris, externum hominem, poteſtate coactiva, externa, dominio, et imperio, per arma carnalia, ſubjicit, et regit per ſe igitur et ſua natura poteſtas Magiſtratus, regno Chriſti mediatorio proprie non ſubordinatur, nec ſubſervit.

Munus et miniſterium eccleſiaſticum proprie, per ſe, et ſua inſtitutione ſubordinatur, et ſubſervit regno Chriſti Mediatoris: utpote quod inſtitutum, et datum eſt in eccleſia, a Chriſto mediatore, magiſtro, legiſlatore in eccleſia Ephes. 4. 11. 1. Cor. 12. 5. quod etiam

Digitized by Google

am effectus ſalutares regni mediatorii producit, fidem nempe et reſipiſcentiam Rom. 1. 4. Eph. 4. 12. in quo homo, miniſter Dei, pro Chriſto legatione fungitur 2. Cor. 5. 20. quod ad evangelizandum eſt inſtitutum Rom. 10. Hinc ſubtiliſſimus *Maccovius* peculiari diſputatione probat in collegio de Mediatore diſp. 33. quod politia eccleſiaſtica pertineat ad regium Chriſti munus. Et recte *Ameſius* in Medulla lib. 2. cap. 17. theſi 48 *Magiſtratus eſt ordinatio Dei creatoris, atque adeo ad omne genus hominum ſpectat: ſed miniſterium eccleſiaſticum eſt donum & ordinatio Chriſti mediatoris; atque adeo non proprie, & ordinario jure ſpectat niſi ad illos qui ſunt de eccleſia Chriſti.*

Hoc fundamento jacto et ſubſtrato, totum hujus controverſiæ ædificium, quam facillime extruetur; et limpidiſſime liquet, quod nullæ functiones aut actiones, quæ ſua natura per ſe, ſub adminiſtratione, et regimine regni Chriſti mediatorii continentur et ſubſtant, a Magiſtratu ratione et viſui muneris præſtari poſſint; utpote quæ natura, eſſentia, ſpecifica differentia diverſæ ſunt, a functionibus et muniis magiſtratus: quodque omnes illæ actiones ſub munere et miniſterio eccleſiaſtico, ex jure divino comprehendantur; utpote quod ſolum inſtitutum eſt a Chriſto, ut regimen regni mediatorii, per illud inter homines ad-

miniſtretur & diſpenſetur.

Vltimo in loco conſideranda veniunt nomina, quibus D. Profeſſor, poteſtatem hanc eccleſiaſticam, ex aliorum authorum ſententiis, & ſcriptis, exponit, & illuſtrat.

I. Inquit *Cl. VValæus hinc inde hanc poteſtatem vocat inſpectionem ſupra officium Miniſtrorum.* Recte Theologi, ex ſententia Conſtantini, Magiſtratum ſtatuunt, epiſcopum eſſe eorum quæ extra ſunt (πῶ ἐξω) eccleſiaſticos vero Epiſcopos eorum, quæ intus ſunt (πῶ ἐσω) in eccleſia: illa igitur quæ intus ſunt de eccleſia formaliter eccleſiaſtica, & ad eſſentiam, & integritatem ſpiritualis regiminis eccleſiæ Dei pertinent, epiſcopatui Magiſtratus non ſubjacent. Illa vero, quæ extrinſecus eccleſiæ adjacent; formaliter politica, & ad externi hominis regimen civile pertinent, regimen ſpirituale eccleſiaſticum non integrant, ſed externe adornant, & modo ſuo promovent, illa inquam ſub epiſcopatu ſuo gubernat, & dijudicat Magiſtratus. Officium vero miniſtrorum non inter illa quæ extra ſunt, ſed inter illa quæ intus ſunt, eſſe numerandum, nemo pius, ut opinor, negabit; eſt enim formaliter eccleſiaſticum, & ad regimen ſpirituale eccleſiæ Dei intime pertinet. Statuit *Cl. VValæus Magiſtratum illam curam & inſpectionem habere in miniſtros, ut illos adhorta-*

ri, conſtringere & obligare poſſit, ſi negligentes in officio deficiant, ut ſedulo & fideliter, munere ſuo defungantur; & ut refractarii falſique doctores, pro meritis, ex ordine legitimo, pœnis corrigantur. Quod & nos concedimus, eo modo, quem in præcedenti delineatione orthodoxæ ſententiæ expreſſimus, & quem poſtea explicabimus. Hoc enim & omnibus eccleſiæ membris incumbit, quæ pro donis, loco, facultate, & authoritate, qua valent in eccleſia, curare poſſunt & debent, ſive propria adhortatione & inſtigatione, ſive aliorum poteſtate, ex ordine legitimo, ut miniſtri deſides ad officia excitentur, et conſtringantur. At vero inſpectionem eccleſiaſticam, quæ ex diſciplinæ eccleſiaſticæ authoritate, jure peculiaris muneris incumbentis, in eccleſia ſuſcipitur, et in miniſtros eorumque officium, tanquam à proprio judice peragitur, presbyterio, eoq; ceſſante, Claſſibus, et Synodis ex jure divino, injunctam eſſe arbitramur, ex Act. 20. 28. Matth, 18. 17. 18. Sed de inſpectione Magiſtratus in eccleſiaſticos eorumq; officia, plura ad quæſtionem ſextam dicenda venient.

II. *Alij* (inquit Vir Cl.) *hanc poteſtatem Magiſtratus circa ſacra vocant politicam gubernationem eccleſiæ.* Gubernatio eccleſiæ eſt formaliter eccleſiaſtica, ſpiritualis, et miniſterium regni Chriſti: eccleſia quatenus eccleſia, non

non gubernatur politice; peragitur enim ejus gubernatio verbo Dei, & disciplina spirituali, ex præscripto Iesu Christi mediatoris, supremi gubernatoris, & magistri ecclesiæ; & intendit spiritualem ædificationem corporis Christi, per ministerium pastorum & doctorum Ephes. 4. 11. 12. Hæc gubernatio Magistratui non est concredita ab ecclesiæ capite, marito, rege; sed ministris, & pastoribus, qui legatione funguntur Christi nomine 1. Cor. 4. 1. 2. 2. Cor. 5. 20. Act. 20. 28. 1. Thess. 5. 17. Circa hanc gubernationem ecclesiæ extrinsecus accidit, & adjacet, politica quædam gubernatio quæ non est gubernatio ecclesiæ, sed politiæ, & status civilis, in quo statu ecclesia est: peragitur enim civili modo, per media politica; attingit externum hominem, & vitam hanc animalem; & effectus politicos per se & sua natura tantum producit; & res illas regit, dirigit, & administrat, quæ proprie spirituales, & formaliter ecclesiasticæ non sunt, sed formaliter civiles, & externi hominis. Proinde hæc gubernatio, quæ soli Magistratui competit, non est gubernatio ecclesiæ, sed politiæ, circa ecclesiam, & ecclesiastica; & proprie sic vocari potest & debet, ne ambiguis cothurnis temporum iniquitati subserviamus.

Item, inquit D. Professor, *vocant alij prima-*

rium

tum regium: De primatu regio Doctores Reformati in Anglia multa ſcripſerunt, nos aſſentimur iis, quæ ab acutiſſimo & doctiſſimo viro *Davide Calderwood* authore Altaris Damaſceni cap. 1. digeſta ſunt. Novit procul-dubio Vir Cl. quænam poteſtas in eccleſiaſticis ſub primatu regio, regibus Angliæ delata ſit. anno 1534. Henricus octavus conſenſu ordinum in comitiis adeptus eſt titulum ſupremi capitis eccleſiæ Anglicanæ, honores, dignitates, præeminentias, juriſdictiones, authoritates, immunitates omnes; item emolumenta & privilegia ad eundem titulum ullo modo ſpectantia. Et quamvis metaphoricum capitis ſupremi titulum poſtea expunxerint, ne offendiculum pareret, & ſupremi gubernatoris ſubſtituerint, idem tamen manet ſenſus. Aſſerit *Henricus Salcolbrigienſis, regem Angliæ, Eccleſiæ Anglicanæ primatem eſſe; regem eſſe perſonam mixtam, utpote, qui cum eccleſiaſticam tum temporalem juriſdictionem habeat, & quidem ſupremam*: & ex ſtatuto *Elizabethæ* primo probat, *quod ea eccleſiaſtica juriſdictio, quæ poteſtate aliqua ſpirituali, vel eccleſiaſtica, antea exercebatur, vel legitime exerceri poterat ad viſitandum ſtatum eccleſiaſticum, & ordinem; item ad reformandum, & in ordinem redigendum, & corrigendum homines eccleſiaſticos, omnimodos errores, hæreſes, ſchiſmata, abuſus, offenſas, &*

enormi-

enormitates inter hoc regnum, imperiali regni diademati in perpetuum unita, & adjuncta sit. Quid adhæc *Calvinus in cap. 7.* Amosi *qui tantopere extulerunt Henricum regem Angliæ, certe fuerunt homines inconsiderati: dederunt enim illi summam rerum omnium potestatem: & hoc me graviter certe vulneravit. Erant enim blasphemi, cum vocarunt eum summum caput ecclesiæ sub Christo.* Plura hujusmodi videri possunt apud authorem jam citatum. Primatus regius in ecclesiasticis non datur, quoad curam religionis & cultus, nisi Christi, qui summum ecclesiæ caput est; nullus sub Christo hominibus primatus, sed ministerium in ecclesia concreditum est. *Apostolis interdicitur dominatus, i ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum: forma Apostolica hæc est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio.* ut Bernardus vere & graviter de Consídera. lib. 2.

Testimonia ex Paræo & Cl Riveto citata, quæ a Cl. D: Professore pag: 17. verbo tenus exprimuntur cum sententia nostra congrunut. summa hujus nostræ dissertationis huc redit.

I Quod potestas magistratus circa sacra in se sit mere politica civilis, potestas quæ formaliter ecclesiastica est, solis eccleſiasticis seu ecclesiæ ministris competat.

II. Magistratum ratione sui muneris, dignitatis

dignitatis, & Poteſtatis, non eſſe præcipuum eccleſiæ membrum, nec primum in privilegiis, & prærogativis eccleſiæ, domus Dei; niſi cum præcipuis donis ſpiritualibus ornatus, præcipua opera bona præſtat.

III Magiſtratum ſua authoritate & poteſtate externum eccleſiæ & cultus Dei ordinem non dirigere nec gubernare, in rebus externis formaliter eccleſiaſticis, & ſpiritualem eccleſiæ ſtatum concernentibus. Sed dirigere, & gubernare externum eccleſiæ ordinem, in rebus externis formaliter politicis, quæ εὐταξίαν, & decorem politicum, & civilem concernunt, in illis rebus, quæ cum eccleſiaſticis & ſpiritualibus coujunctæ & implicitæ, externum hominem concernunt.

IV. Magiſtratum, quatenus cuſtos eſt utriuſque tabulæ legis, & nutricius eccleſiæ, nullas res formaliter eccleſiaſticas, adminiſtrare, aut diſpenſare, multo minus eccleſiæ eripere, ſibi ſuoque officio adjungere poſſe: ſed tantum curare, modo legitimo, pro ratione & natura ſui muneris, ut illæ res quæ internum eccleſiæ ſtatum concernunt, & ſpiritualem effectum moliuntur, qui pertingit ad animam, ab iis tractentur & diſpenſentur, quibus id à Chriſto & eccleſia Chriſti Sponſa, injun-

Digitized by Google

injunctum est : ut libertates & jura ecclesiæ ab omni injuria vindicentur; & ecclesiæ omnia commoda, & media politica submini-strentur, quibus in libertatibus suis, officiis, exercitiis, & actionibus, juvari possit.

V. Magistratum ex vi & potestate sui officii non subservire immediate per se, regno Christi mediatorio; proinde, ratione sui muneris, res regni Christi mediatoris non tractare, dispensare, aut administrare; sed quidquid adjumenti, promotioni regni Christi mediatorii confert, mediate per alios, per ministerium ecclesiasticum, ei conferre; dum illud ministerium fovet, defendit, propugnat.

VI. Proinde potestatem Magistratus circa sacra non esse jurisdictionem ecclesiasticam, proprie & formaliter sic dictam, sed jurisdictionem civilem circa ecclesiastica; de illis rebus, quæ sua natura civiles & politicæ rebus ecclesiasticis adjacent.

CAP. III.

De fine potestatis Magistratus circa sacra & ordinem quem habet ad illum finem.

TAnta inter potestatem politicam, et ecclesiasticam est distantia, ut nulla prorsus

sus vel minima sit inter ipsas essentialiter seu formaliter consideratas, aut subjectio, aut dependentia, aut colligatio intrinseca: sed ipsæ inter se sunt totaliter diversæ, ac ut loquuntur scholæ, disparatæ; et à se invicem separatæ perfecte consistunt. Vt patet ex statu ecclesiæ Apostolicæ et primitivæ sub imperatoribus ethnicis et infidelibus.

Est Christi institutio, ut potestas sacra, et politica, nullo modo in unam conveniant personam, jure unius muneris et dignitatis; *actionibus enim propriis, dignitatibusque distinctis officia utriusque potestatis discrevit, & noluit ut quisquam homo utraque potestate suffultus, nimium extolleretur*, ut loquitur *Nicolaus primus.*

Hinc imperatoria potestas nullam habet subjectionem ad ecclesiasticam potestatem, quamvis imperator, ratione suæ personæ, in quantum Christianus est, ecclesiasticæ subjiciatur potestati: *nam sicut ecclesiastica pontificis potestas non subjicitur imperatoriæ, ubi tamen persona pontificis, ut homo est, ei subjiciatur; ita, neque imperatoria potestas pontifici subjicienda est, licet homo imperator non qua imperator, sed ut fidelis, pontificiæ subjiciatur potestati, inquit Spalatensis.*

Dignitas seu officium quod est in subordinato non potest non esse in subordinante, cum ab eo in subordinatum derivetur, et inde

de est quod princeps se violatum putet, dum ejus ministri in exequendis officiis impediuntur. *At vero res omnes & personæ, præsumuntur esse liberæ, & non subjectæ, nisi contrarium probetur: Barclaius contra Bzovium de potestate papæ. Cap. 2.*

Asserit *Bellarminus* contra *Barclaium* cap. 2. *subordinationem duobus modis posse intelligi, priori modo, ut potestas quæ est in subordinato derivetur à subordinante, qualis est potestas legati, qui derivatur à principe qui eum legavit, & judicis sive præsidis, quæ derivatur à rege: & tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatem subordinati.* hanc tamen subordinationem potestatis ecclesiasticæ sub politica, urgent Remonstrantes, multique politici qui cum Remonstrantibus hic idem sentiunt. *Altero modo consideratur hæc subordinatio, ut una potestas non derivetur ab altera, sed ob id solum subjecta & subordinata sit alteri, quia finis unius subjicitur & subordinatur fini alterius, qualis est subordinatio & subjectio variarum artium, ad artem regendi populos, quæ regia dici potest. Sic ars inquit ecclesiastica regendi animas quæ est ars artium & præcipue residet in papa, non includit necessario artem regiam, neque necesse est ut omnia regna deriventur ab ecclesia, attamen quia finis ejus est vita æterna, ad quam subordinantur omnes alij fines, subjecta & subordinata est illi ars politica regendi*

gendi populos. Nos vero hanc ſubordinationem à Pontificiis confictam rejicimus, ut fundamentum poteſtatis temporalis indirectæ, quam Papæ in Imperatores & Reges aſſcribunt.

Certe finis cujuſcunque artis optime dicitur ſubordinari fini artis ſuperioris, quæ ſit architectonica; ſicut finis frœnifactoriæ ſubordinatur equeſtri arti: in illis artibus inferior eſt ſolum propter ſuperiorem, adeo ut ſublata ſuperiore tollatur etiam inferior; ſi enim non ſit ars equeſtris, certe ſupervacanea eſt ars frœnorum faciendorum. At ſecundum *Bellarminum* lib. 5. de Pontific. cap. 6. talis ſubordinatio non eſt inter poteſtatem politicam & eccleſiaſticam; quia poteſtas politica non eſt ſolum propter eccleſiam: nam etſi eccleſia non eſſet, adhuc politica eſſet; ut patet in infidelibus, ubi eſt vera poteſtas temporalis & politica, & tamen ſine ordine ad aliquam veram poteſtatem eccleſiaſticam & ſpiritualem.

Proinde diſtinguimus inter artem & ſubjectum ſeu habentem artem: nam ſicut fini artis regiæ, non ſubjiciuntur nec ſubordinantur per ſe fines cæterarum artium, ut differit *Spalatenſis* puta ſculptoriæ, *quia inquit finis ſculptoriæ per ſe nullo modo poteſt ſervire fini artis regiæ; alioqui ars regia tanquam indigens ut perfecte exer-*

 ceatur

ceatur arte ſculptoria, præſcribere deberet arti ſculptoriæ quomodo ſtatuas efficeret, ut ipſe ſtatuæ commodo inſervirent arti regiæ, ad hoc ut ipſa ars regia ſuum finem regendi populos per dictas ſtatuas conſequeretur. Attamen ipſe ſculptor arti regiæ ſubjicitur, quia ſculptor cum ſit ſubditus regis, tenetur etiam circa uſum & abuſum ſuæ artis parere regi; & rex ſculptori jubet & corrigit, ne obſcenas faciat ſtatuas quibus iuventus corrumpatur, non tamen corrigit artem, ſed artificem, idque per accidens. Et ſi ſculptor erret ſculpendo obſcenam ſtatuam, non errat ut ſculptor, ſed ut civis, nec omnino peccat contra formam aut finem ſuæ artis. Sic fini eccleſiaſtici regiminis non ſubjicitur aut ſubordinatur per ſe ars regia, aut finis artis regendi populos; ſicut nec finis artis ſculptoriæ, navigatoriæ, ſutoriæ, & innumerabiles alii rerum humanarum fines ex ſeſe et ſua natura ſubordinantur vitæ æternæ. Rex tamen ipſe, ſtatuarius, et nauta, ſi ſint fideles, debent etiam uſum artis ipſorum ad vitam æternam conſequendam dirigere, ipſe enim rex, ſtatuarius, et nauta, et quilibet artifex fidelis, habet pro ultimo fine vitam æternam, quæ vita æterna eſt finis ultimus ipſorum artificum fidelium, non tamen eſt finis artis ipſorum.

Certum igitur eſt duas has poteſtates eccleſiaſticam et politicam dignitatis officio, et actibus

bus, prorſus inter ſe adeo eſſe diſcretas, ut nec ſubordinatio quidem ulla inter ipſos poſſit aſſignari: licet ipſi habentes has poteſtates poſſint interſe alter alteri ſubjici. Nam eccleſiaſticus regem, ut hominem fidelem, regia poteſtate ad perniciem animarum abutentem, corripere & corrigere poteſt: & vice verſa, poteſt rex eccleſiaſticum, ut hominem ſubditum, ſi per abuſum ſuæ poteſtatis eccleſiaſticæ pacem turbaret civilem, corrigere & coercere. Sed tunc nec rex contra eccieſiaſticam, nec contra regiam poteſtatem eccleſiaſticus facit. Recte igitur *Iohan Major* Doctor Pariſienſis lib. 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 3. loquitur *poteſtas terrena inquit & poteſtas ſpiritualis, ſunt duæ poteſtates, non ſubordinatæ quarum neutra dependet ab altera. A Deo enim utraque eſt & dependet*, ut addit *Spalatenſis, immediate; neutri in alteram eſt imperium; fines utriuſque ſunt inter ſe diſparatæ, ſolus Deus habet imperium in utrumque; ſed miniſtros utriuſque voluit eſſe diſcretos & diverſos.*

Quoad fines harum poteſtatum; ſeorſim Deus poſuit poteſtatem civilem in ordine ad naturalia; & ſeorſim eccleſiaſticam in ordine ad ſupernaturalia; ut utraque ad ea ſola quæ ſui ordinis ſunt per ſe extendatur; & ad ea, quæ alterius ordinis ſunt, non poſſit ſeſe extendere. Vtramque etiam in ſuo genere

Digitized by Google

perfectam instituit adeo, ut altera ad consecutionem perfectam proprii sui finis, alterius ope non indigeat. Finis reipublicæ humanæ civilis, est fœlicitas naturalis, pax & tranquillitas, quæ prudentia humana, & naturæ solius viribus potest comparari; finis politiæ ecclesiasticæ est supernaturalis & externa beatitudo, gratia, fide, charitate, & virtutibus infusis supernaturalibus consequenda. Respublica civilis potest perfecte institui & gubernari, & ad suum proprium finem naturalem regi & perduci, absq; ulla ope ecclesiasticæ potestatis: Nemo enim negat inter gentiles & olim & nunc esse potestatem perfectam, à Deo institutam, in nullo indigam ecclesiasticæ potestatis, quoad ipsius civile perfectum regimen. Sic & in rebusspublicis Christianis fatendum civilem potestatem nihil prorsus attingere, neque posse per se & sua natura quidquam efficere circa adeptionem beatitudinis æternæ: nisi in Pelagianorum castra transire velimus, quo Pontificii nos conantur deducere, dum volunt finem naturalem civilis potestatis ex sua natura intrinsece respicere & ordonari ad finem æternæ beatitudinis consequendam. Nos vero existimamus politicam potestatem nunquam posse extrahi ex suo genere, & elevari ad alium finem per ipsum producendum, qui non sit totus naturalis, &

quem

quem puræ naturales vires non poſſunt conſequi.

Quamvis talis ſubordinatio intrinſeca politicæ poteſtatis introducenda non ſit cum pontificiis ad bonum & finem ſupenaturalem; ordinatio tamen quædam ulterior & extrinſeca eſt ſtatuenda, qua ab extra non tantum homines in politia à Deo ulterius ordinantur ad finem ſupernaturalem ſub alia poteſtate ſpirituali: Sed etiam ipſa poteſtas civilis, toto jam in ſuo ſtatu perfecto, abſoluto, & completo, ulterius extrinſece ordinatur, ut aliæ poteſtati ſpirituali, omnia fomenta & media externa politica ſubminiſtret; ut ſpiritualis & ſupernaturalis illa poteſtas finem ſuum proprium ſupernaturalem ſua intrinſeca virtute poſſit producere. Per quam extrinſecam ordinationem poteſtas politica cuſtos defenſor & nutrix fit eccleſiæ & ſpiritualis poteſtatis: nihil tamen per ſe producit aut confert, ex quo ſpiritualis eccleſiæ poteſtas intrinſece & formaliter, dignitatem, poteſtatem, vires, virtutes, et propria ſua habeat, aut finem effectumve proprium producat. Deinde tota reſpublica civilis in ſuo ſtatu perfecta et completa per hanc extrinſecam ordinationem ulterius ordinatur ad finem ſupernaturalem: ex qua extrinſeca ordinatione *aliud genus reipublicæ reſultat toto genere à priore diverſum*; ut notat *Spa-*

latenſis lib. 6. cap. 3. num. 17. de republica eccleſiaſtica : *cum nova præſidentia, & ſubjectione: ita ut ipſe rex, qui in ſua republica civili primus eſt & in civilibus prorſus nemini ſubjectus, ex hac nova extrinſecus ordinatione, ut fidelis jam ſubdatur ſpirituali juriſdictioni & poteſtati; poteſtas tamen regia non ſubjiciatur. Hinc enim corpora formaliter duo reſultant, ita ut eadem multitudo ut civilis conſtituat unum genus reipublicæ cuius caput ſolus ſit rex, & cuius membra ſunt homines omnes quatenus pars ſunt reipublicæ civilis. Rurſus eadem multitudo ut fidelis & Chriſtiana, aliud toto genere diverſum à priore conſtituit reipublicæ genus, quod eſt eccleſia; cui præeſt poteſtate miniſteriali ſub Chriſto capite, paſtor & non rex, qui rex reſpectu huius ſecundi generis reip. membrum eſt, & non caput: ideoque in priori repub. paſtor eccleſiæ ſubiicitur regi, in poſteriori vero rex ſubiicitur poteſtati miniſteriali paſtoris.*

Sic quidem inter ſe juvant, et conſpirant amice duæ hæ poteſtates, cum princeps eſt fidelis, non tamen authoritate imperant: ut egregie differit *Franciſcus Iunius* eccleſiaſt. lib. 3. cap. 5. *Ex iis quæ modo diximus manifeſto conſtat, non pugnare inter ſe politicam & eccleſiaſticam adminiſtrationem (quod lymphatici multi perverſiſſime confirmarunt) ſed alteram alteri aptam eſſe quodammodo conjunctiſſimam, ſive, ut paucis dicamus, ut corpus cum anima, ſic politicam adminiſtrationem*

cum ſpirituali & eccleſiaſtica cohærere. Nam ſi quis penitus rem introſpexerit, & unius cohærentiam cum altera animadverterit; is certe deprehenſurus eſt, nullum tam magnum adjumentum politicæ adminiſtrationi poſſe accedere, quam optima eccleſiæ adminiſtratio, incumbens in ſanctam illam & juſtam ſanctorum communionem, ut parentem officiorum omnium. Et viciſſim nullum tam potens firmamentum ſecundum Deum, nullam adeo certe cuſtodiam eccleſiaſticæ adminiſtrationi inveniri poſſe, quam præbitura eſt juſta pij Magiſtratus atque fidelis πολιτεια. *Hæc gratiam eccleſiaſtico ordini conciliat, illa authoritatem politico: hæc ordinem eccleſiaſticum aſſerit atque vindicat, illa ad politicum ducit voluntates hominum & conſcientias. Ac propterea aſtutos quoſque legiſlatores in optimis rebuſp. atque ampliſſimis videmus animos ſuorum popularium, cum ſibi, tum ſuis legibus religionis ſpecie devinxiſſe; Minoem, Lycurgum, Charondam, Zaleucum, Numam. Ecquid obſecro futurum eſt ſi optima eccleſia cum repub. optima coaleſcat? O beatum populum! in quo uno ore & uno animo utraque adminiſtratio ad ſanctam communionem cum civili ſocietate continendam & augendam conſpiraverit. Non minuit illam hæc adminiſtratio, ſed altera alteram ſtantem confirmat, labantem ſtatuminat, collapſam erigit; ſi homines quibus commiſſa eſt, cogitabunt ſerio, & volent in ſparta ſua quam nacti fuerunt colenda*

incumbere. Hinc & *Theodosius* Iunior Imperator sic disserit Epistola ad *Cyrillum*, extat inter *Cyrilli* Epistolas Epist. 17. cujus exordium celebre tale est: *reip. nostræ constitutio ea quæ erga Deum est pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio & familiaritas intercedere solet: Nam & ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit. Quandoquidem ut vera religio justa actione perficitur, ita & respublica utriusque ope enixa florescit.*

Hinc igitur Magistratui Christiano cura circa religionem incumbit multis in partibus: nam 1. Prohibet ne temporlia spiritualibus permisceantur; quoniam pure ecclesiastica à politicis toto genere sunt diversa & disparata, fines & limites utriusque potestatis sacros & intactos sua authoritate conservare nititur Magistratus pius: sin minus *politiam ex sese* inquit *Spalatensis, faceret essentialiter religionem, & religionem essentialiter politiam, cum tamen Christus regnum suum spirituale nunquam passus sit temporalibus permisceri, & qui religionem essentialiter ad temporalitates etiam vergere tentendunt, ij proculdubio Christum bona ex parte mundanum faciunt.* 2. Ita constituit & ordinat suam politiam Magistratus, ut cum fide & moribus fideli homini dignis non pugnet; nusquam libertates & jura ecclesiæ lædat, nihil præcipiat quod Christianæ religioni adversetur.

ſetur. Et contra omnia eccleſiæ impedimenta, idololatriam falſoſque cultus, amoveat;& peccata omnia moralia, quæ vel numinis cultui in communi, vel tranquillitati publicæ obeſſe poſſunt, legibus et pœnis impediat. 3. Quemadmodum ſancta religio poteſtati Magiſtratus ſuppeditat vera ſolida et plurima in regenda civili repub. adjumenta ; ita et princeps Chriſtianus, ſanctæ religioni exactiſſime inſervit, et per actus externos, qui ſoli ſpectant ad ipſius poteſtatem, externum divinum cultum fovet, promovet : ipſamque religionem, ſibi à Deo ita commendatam, habet, et habere debet, ut eam conſervet et promoveat, etiamſi nihil ad politicam fælicitatem pertineat : puta ſi non minus falſa religio quam vera politicum juvaret regimen; Aut etiam ſi falſa quam vera plus adjumenti et ſubſidii afferret Chriſtianus tamen princeps tenetur veræ religionis patrocinium ſuſcipere, et eam pro viribus tueri et promovere, viis et modis legitimis à Chriſto adhibitis et inſtitutis. Et uno verbo, ita ratione ſui muneris Magiſtratus lumine fidei illuſtratus, eccleſiæ curam ſuſcipit et exequitur ut nutricius et defenſor fiat eccleſiæ. 4. Hanc curam circa religionem ſuſtinet Magiſtratus ex proprio officio et munere ſuæ dignitatis ut miniſter eſt immediatus et vicarius Dei in terris; non ex præſcripto et mandato mini-

miniſteriorum eccleſiæ; proinde et authoritate ſuprema et architectonica hæc procurat et exequitur, non poteſtate derivata ab eccleſia.

CAP. IV.

Examen ſecundæ Quæſtionis à Cl. Vedelio expenſæ.

Quæſtio ſecunda eſt *an ad Magiſtratum nonpertineat cura veræ religionis niſi ad præſcriptum miniſtrorum eccleſiæ.* Inquirit Cl. Vir in ſententiam Pontificiorum ex ſcriptis Bellarmini quid circa hanc quæſtionem ſtatuant. De ſententia Bellarmini litem doctiſſimo viro intendere nobis nec animus nec facultas eſt; ſed in ipſam D. profeſſoris ſententiam inquirere ſtat ſententia. ſtatuit igitur Cl. Vir, *quod Magiſtratus pro fine præcipuo habere debeat ſalutem, & fœlicitatem populi, non temporalem ſolum ſed etiam æternam.* Nos vero negamus hoc vere dici, de fine proximo et immediato, quem Magiſtratus per ſe, vi, et poteſtate ſui muneris producere, intendit, et curat: Et contra affirmamus, Magiſtratum pro fine ſui muneris proprio, et proximo, habere temporalem quietem et ſalutem populi, non autem vitam et felicitatem ſempiternam et cœleſtem: diſtinctione præcedentis capitis

pitis hic obſervata et applicata; inter finem muneris et artis, et finem artificis ſeu habentis munus: bonum enim naturale et externi hominis ex vi, et potentia ſui muneris per ſe producere poteſt et intendit Magiſtratus, ſupernaturale bonum producere nec poteſt nec intendit. Nam 1. Officium Magiſtratus non eſt medium aut miniſterium ſanctificatum a Deo ad bonum ſupernaturale; fuit enim inter gentiles a mediis ſalutis, & miniſterio ſupernaturalis & ſempiterni boni excluſos Actor. 14. 17. Pſal. 147. 19. 20. Ephſ. 2. 12. 2. Officium Magiſtratus per ſe ſua poteſtate & authoritate internum hominem non ſubigit aut regit; immediate enim per ſe, ſua poteſtate conſcientiam non poteſt ligare, ſed tantum mediante Dei verbo & authoritate; ut Reformati Doctores contra pontificios jamdudum argumentis graviſſimis hoc probarunt. Proinde bonum ſupernaturale & ſempiternum, quod interni hominis eſt, eumque ſubigit & regit; per ſe producere non intendit. 3. Bonum ſupernaturale, vita & fœlicitas ſempiterna & cœleſtis, ſunt effecta ex mediatorio Chriſti munere eccleſiæ collata; quæque illis mediis applicantur quæ a Chriſto mediatore ſunt inſtituta, et executioni et beneficiis muneris mediatorii per ſe ſubſerviunt: inter quæ media munus Magiſtratus locum non habere præce-

denti

Digitized by Google

denti quæſtionum argumentis non levidenſis probatum dedimus. 4. Hinc ſcriptura finem proprium et proximum muneris Magiſtratuum deſcribens, bonum naturale, temporalem quietem et ſalutem populi proponit Rom. 13. 1. 2. 3. 4. Exod. 18. 22. 23.

Ad conſenſum authorum Reformatorum vide *Tilenum* in Syntag. part. 2. diſp. 32. theſ. 33. *Diſcrimen gubernationis eccleſiaſticæ & politicæ eſt triplex.* 1. *Differunt forma, illa enim eſt* ὑπηρετικὴ *ſeu miniſterialis; illa quamvis Dei reſpectu etiam ſit miniſterialis Rom.* 13. 9. 6. *tamen reſpectu ſubditorum, imperio & authoritate cogendi eſt inſtructa.* 2. *Objecto; illa verſatur circa res ſpirituales, & hominem internum: iſta circa res terrenas & hominem externum.* 3. *Fine; illius eſt communio ſanctorum, & ædificatio corporis Chriſti: illius finis eſt conſervatio pacis & tranquillitatis externæ.* Sic & *Danæus* polit. Chriſt. lib. 6. cap. 1. aſſerit *Magiſtratum ordinatum eſſe ad res humanas, quod additur, inquit, in definitione, primum ut vera Magiſtratus cura demonſtretur, quæ in eo eſt ut humana ſocietas illa, quæ ipſi commiſſa eſt, tum quod ad Deum, tum quod ad homines ipſos pie & honeſte gubernetur. Ergo quæ curat Magiſtratus eatenus curat, quatenus ad hanc vitam humanam, & ad hominum externam ſocietatem conſervandam illa pertinent. Deinde his verbis diſtinguitur, paſtorum eccleſiæ & Magiſtratuum*

tuum civilium munus acquiratura. Nam veri pastores ecclesiæ hodie quemadmodum olim, id est, sub lege sacerdotes, interveniunt ac constituuntur in iis, & eorum ratione, quæ divina sunt, & nobis sunt apud Deum agenda Heb. 5. 1 & 8. 3. Verum Magistratus instituti sunt à Deo rerum humanarum, quæ hominum societati necessariæ sunt, respectu, ad earum curam. & *idem* lib. 3. in Aphor. sect. de pastoribus ecclesiasticis Aphor. 15. *Non debet quisquam ac ne summus quidem Magistratus in ministerij ecclesiastici fines irruere & invadere. Utrumque enim est à Deo distinctum, suis certisque finibus & functionibus inter se diversum, licet pius Magistratus sit utriusque legis divinæ tabulæ custos* 2. *Chron.* 26. *v.* 18.

In tota hujus quæstionis tractatione huic sententiæ nihil omnino vel specie tenus contrarium reperio a D. Professore allatum, nisi locum 1. Tim. 2.2. ubi præcipit nobis Apostolus *ut oremus pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis, ut tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate.* In hoc loco considerandum 1° Apostolum agere de Magistratu sacris ethnicis imbuto, ecclesiæ hoste & persecutore, qui per se & vi sui muneris spirituali bono ecclesiæ & piorum non incumbebat seu invigilabat. 2. Ipsum Magistratus finem, qualis a Deo ipsi præscribitur, hic quidem spectari, sed non immediatum, proximum

mum, proprium, quem ex vi & poteſtate ſuæ dignitatis, per ſe producere poteſt; ſed quem intendit producere per accidens, mediante ſcilicet miniſterio pietatis. 3. Imo vero, non tam finis muneris & artis regiæ, quam finis utentis & fruentis munere & arte regia, hic diſcribi videtur. Non indicat Apoſtolus proprie quid Magiſtratus vi ſui muneris intendat & producat; ſed in quem finem fideles munus & effecta muneris Magiſtratus referant & applicent. Hic igitur locus, quod noſtro judicio ipſa verba dare videntur, deſcribit 1. Finem proprium & proximum muneris & dignitatis eorum, qui in eminentia conſtituti ſunt, quem ſtatuit tranquillam & quietam vitam, qui finis a Magiſtratu vi ſui muneris producitur. 2. Deſcribit finem remotum extrinſecum, qui per accidens fini proximo accedit, qui in pietate & honeſtate conſiſtit; quem fideles fine proprio Magiſtratus fruentes, ex miniſterio ſupernaturalis gratiæ educunt & ſuperaddunt: quem Magiſtratus per ſe & munus proprium non producit. Suffragatur huic expoſitioni Cl. *VValæus* pag. 59. libri de poteſtate Magiſtratus circa ſacra.

Hinc igitur de fine remoto, mediato, extrinſeco muneris poteſtatis ſupereminentis; qui non eſt finis muneris, ſed habentis munus, id eſt Magiſtratus Chriſtiani; docemus, eum & bonum

bonum ſupernaturale & fœlicitatem ſempiternam intendere : & ſtatuimus, quemadmodum omnia membra in eccleſia Dei obligantur omnem ſuam potentiam & dignitatem, & media, & facultates, etiam externas & corporales, conferre & dirigere ad promotionem regni Chriſti, religionis, virtutis, pietatis; ita & Magiſtratum teneri omnem ſuam poteſtatem ſecundum præſcriptum verbi Dei conferre & adhibere, ad pietatem & vitam ſempiternam ſubditorum promovendam & fovendam. Hinc tamen quemadmodum nec quilibet privatus, ſic nec ipſi Magiſtratus, vi ſui muneris, obeunt aut peragunt, aut obire aut peragere poſſunt publica illa officia & miniſteria quæ à Chriſto mediatore ſunt ſanctificata ad pietatem producendam. Ex præcedenti fundamento de fine muneris Magiſtratus remoto et extrinſecus accidente, aſſerimus cum Cl. Viro contra Pontificios, *veram curam religionis ad Magiſtratum pertinere, qua ipſe per ſe tenetur ſollicitus eſſe de ea introducenda ubi nondum exercetur, conſervanda ubi in uſu eſt, vindicanda ubi corrumpitur, reſtauranda ubi collapſa eſt, & quidem hæc omnia ſecundum præſcriptum Dei verbum.* Id enim unicuique fideli Chriſtiano et eccleſiæ membro, pro loco, facultate, poteſtate, dignitate, qua pollet, in populo Dei, incumbit, ut per ſe ſit ſollici-

tus

tus de religione introducenda, fovenda, vindicanda, reſtauranda, ex præſcripto, & ordine divinitus inſtituto; multo magis magiſtratui, qui populi pater et caput eſt: attamen hæc omnia curare debet eo modo et ordine, et per illas perſonas, quas Deus ipſe ſanctificavit et inſtituit ad res religionis tractandas; *cujus ordinis Deus paſtores & doctores eccleſiæ ſpirituales cuſtodes & vindices in nomine Chriſti conſtituit*, ut optime *Cl. VValæus obſervat* pag. 83. ſcripti Belgici. Et huic ſententiæ firmandæ argumenta à Cl. Viro producta, ſufficiunt.

Ne quis hæc argumenta ulterius in deviam Remonſtrantium ſententiam detorqueat, legat lector illa quæ a doctiſſimo noſtro præceptore Cl. D. *VValæo* ad hæc argumenta annotata ſunt a pag. 69. uſque ad 92. ſcripti Belgici contra VVttenbogardum.

Alia quædam in tractatione hujus quæſtionis a Cl. Viro propoſita, conſiderationi obveniunt, quæ hoc loco examini ſunt ſubjicienda. Et primo quidem loco, quod ſtatuat *omnes pios principes ſub V. T. curam veræ religionis geſſiſſe ex mandato Dei generali Deut 17. quoſdam etiam de officio illo ſuo edoctos fuiſſe ſpeciali revelatione, & utrovis modo edocti fuerint, eos ea in re præter aut contra officium nihil feciſſe.* Vltima hæc verba verſatili et ambiguo cothurno prolata

prolata, ita ex ſequentibus determinamus; reges V. T. ſpeciali revelatione de officii actionibus edoctos, nihil feciſſe præter officium ordinarium regis, ita ut omnes eorum actiones, in regulam ordinariam officii omnium regum, & Magiſtratuum, trahi & ſtatui poſſint & debeant. Hæc ſi Cl. Viri ſit ſententia, nos eam a veritatis via deflectere affirmamus, & ſtatuimus pios reges ſub Vet. Te. quædam ex ſpeciali mandato & revelatione divina egiſſe, in & circa eccleſiaſtica, quæ fuerunt præter officium ordinarium omnium regum, quæ ipſis ſpeciali mandato injuncta fuerunt, & in exemplum & regulam ordinariam officii regis ſeu Magiſtratus, trahi non poſſunt. Hujus noſtræ ſententiæ firmamenta hæc damus 1. Officia & munia ſacerdotum, & regum ſeu Magiſtratus, etiam ſub V. T. eſſentiali, & ſpecifica differentia, & diſcrimine, diverſa fuere: probationibus confirmavit hoc firmiſſimis Cl. *VValæus* libro ſæpius citato. *Neque vero ſolum miniſteria, ſed & κρίσεις eccleſiaſtica diſtingui à politicis Deum voluiſſe facile perſpicimus, tum ex Moſe, controverſias quæ inter Iſraelitas exorituræ eſſent, neque in minoribus conventibus decidi poſſent, deferri vel ad pontificem, vel ad judicem mandante Deut* 17.16. *Cum ex Ioſophati facto præficientis utrique conſeſſui diſtinctos judices* 2. *Paralip.* 19.8. Inquit reverendus & doctiſſimus

vir *Gerſomus Bucerus* in diſſertatione de gubernatione eccleſiæ pag. 113.. Vt vero duces reges & principes Dei ſub V. T. officia quædam ſacerdotum quandoque ſubierunt & defuncti ſunt ex ſpeciali mandato & exemplo extraordinario: ita *Moſem ſacerdotem fuiſſe extra ordinem ad tempus delegatum, ut ordinarium ſacerdotium generaret* aſſerit Cl. *Iunius*: *eſt autem iniqua argumentatio* (inquit idem Doctor eodem in loco, de eodem exemplo) *ex peculiari & extraordinario, id eſt à rei generatione ad conſtitutionem illius argumentari.* In Bellar. controverſ. 1. lib. 3. cap. 4.

2. Reseccleſiaſticæ, earum juriſdictio, & adminiſtratio, a rebus ſecularibus regni diſcretæ fuerunt, & ſacerdotibus, non politicis, ex officio ordinario injunctæ a Deo. Apparet hoc manifeſtiſſime 2. Paralip. 19. 11. Vbi Sebodias præficitur diſertiſſime iis, quibus controverſiarum litiumve dijudicationes mandatæ erant; Amazia vero ſacerdos primarius omni negotio Iehovæ. Sic *Iunius*, *Vatablus*, *Piſcator*, *Deodatus*, in eundem locum, & *Iunius* in *Bellarminum* controver. 1. lib. 3. cap. 4. Not. 18. *Sepperus de* lege Molaica forenſi lib. 5. cap. 3. *Bertramus* de politia judaica cap. 11. alii præſtantes doctrina viri, interpretantur negotia Iehovæ, cauſas ſacras & eccleſiaſticas: regis negotia, civiles, & politicas,

liticas. Iam vero judicet vir Cl. an non quandoque reges & principes sub V. T. particulari,& peculiari exemplo,præter officium ordinarium, negotia Dei tractarint: & proinde an omnes earum actiones, in rebus ecclesiasticis, in exemplum ordinarium trahi possint? *Extraordinaria quo jure in exemplum trahas?* regerit *Iunius Bellarmino* loco citato Not. 4.

Tertium argumentum ex sensu & verbis Cl. VValæi lib. citato pag. 69. assumo, ubi supponit quandoque extraordinarie excitatos & ordinatos fuisse in republica V. T. quosdam, qui simul judices & sacerdotes, reges & prophetæ fuerunt, quorum actiones ab ordinario Magistratu in exemplum trahi non possunt. *Sin minus, etiam Sacerdotes & Levitas N. T. ad suprema judicum subsellia promoveri posse; quemadmodum Eli & Samuel simul sacerdotes & supremi judices fuerunt; item sacerdotes quandoq; jus gladii,& supremæ potestatis sibi arripere posse exemplo prophetæ Eliæ,& Iehojadæ summi sacerdotis.* hinc pag. 70. concludit *ab extraordinario exemplo Mosis in sacris instituendis non posse concludi ordinarium Magistratus officium circa sacra.*

Hoc igitur concludimus duces,reges pios illa quæ ex speciali mandato & revelatione sub V. T. circa ecclesiasticas & sacras res fecerunt, non quidem feciſſe, contra aut præter officium suum, ipsos specialiter, & extra

ordinem pro tempore illo, a Deo demandatum; attamen præter officium ordinarium regum, quod in regulam ordinariam muneris Magistratus trahi possit. Secundo loco animadvertendum jure, an injuria, Vir Cl. futile & ineptum effugium vocet, distinctionem illam, qua non *Bellarminus* modo, sed & reformati Theologi utuntur in hac controversia: qua asserunt Mosen cultum Dei instituisse etc. ut summum sacerdotem et prophetam; reges idem fecisse extraordinaria anthoritate, non tam ut reges quam ut prophetas. Nos distinctionem hanc, ut genuinam, legitimam et verbo Dei fundatam, admittimus et probamus: et hasce theses hac de re indubitatas defendimus. 1 Mosen sacerdotem fuisse extra ordinem, ad tempus delegatum, in anteceſſum, ut ordinarium sacerdotium generaret in ecclesia; hoc autem instituto, Mosem nusquam sacerdotis partes obiisse. Ita *Iunius* in *Bellarminum* controver. 1 lib. 3. cap. 4. Not. 4. 7. 2. Mosen etiam fuisse prophetam singularem, qui Aaroni summo pontifici adjunctus, multa ex vi et ratione illius extraordinarii muneris in cultus Dei et religionis ordinatione præstitit. Ita Walæus pag. 71. libri citati. 3. Davidem et Salomonem in institutione et immutatione cultus divini, omnia illa quæ peregerunt tractasse,

se, non ut reges; altaria enim Dei permutare nulli regum permissum fuit. probat hoc Cl. Walæus exemplis Ieroboami, 1. Reg. 13. Achasii. 2. Reg. 16. Rubenitarum & Gadditarum Iudic. 22. 16--19. & præceptis Dei Deut. 12. Exod. 20. Deut. 27. 5. Sed ea feciſſe partim tanquam prophetas; partim expresso & particulari Dei mandato, per prophetas ad ipsos delato 2. Chro: 29. 25. Ita Walæus pag. 83.

4. Reges alios pleraque quæ circa cultum Dei fecerunt, gessisse ut custodes ordinarios, & vindices divinarum legum, qua Magistratus fuerunt fideles, & in populo Dei patres: quorum officium est collapsum Dei cultum instaurare, & erectum conservare ex ordine divinitus instituto; per illos homines, qui a Deo ad sacra dispensanda, & cultum divinum exequendum sunt vocati: idque secundum leges de cultu divino latas, quárum interpretes & custodes spirituales ecclesiæ ministri sunt. Ita *Iunius* in *Bellarm.* controv. 3. lib. 1. cap. 7. Not. 19. Walæus pag. 86.

5. Mosen cultum Dei instituisse, Aaronem ejusque filios in sacerdotio confirmasse tanquam sacerdotem, et extraordinarium prophetam, probat Cl. Walæus *invictis, ut inquit, rationibus,* 1. *quia contrectavit sanctas illas vestes, item urim & thumim, quas Aaroni & filiis ejus induit, quasque nulli regum unquam licuit*

contrectare. 2. *Quia Moſes in illa conſecratione ſacrificia obtulit pro Aarone & filiis ejus idque ex Dei mandato Exod.* 29. 5. locor. com. cap. de functionibus eccleſiaſticis pag. 909. plura qui videre velit legat ſcriptum ejus belgicum a pag. 69. uſque ad 92.. Nolo illa repetere quæ accuratiſſime doctiſſimus noſter præceptor illo in loco de hac controverſia congeſſit.

Tertio loco conſiderandum quam ob cauſam Vir Cl. exſibilet et rejiciat tam indigne citationem exempli Vſſiæ regis contra magiſtratus in officium paſtoris uſurpantes, qui cum ſacerdotum officio defungi vellet thuſque adolere, ideo a Deo lepra percuſſus, et a Levitis et ſacerdotibus templo expulſus eſt. Notandum exemplum hoc illum in finem, non tantum a pontificiis, ſed etiam a reformatis doctoribus produci, vide Walæum libri citati pag. 9. *Acronium* pag. 18 de vocatione paſtorum. *Paræum* Col. 1358. in Epiſt. ad Rom. Cl. Dom. Profeſſorem *Cloppenburgium* in gangræna Anabapt. Theolog. pag. 442. *Marcum Anthonium de dominis* Epiſcopum Spalatenſem lib. 6. de republica eccleſiaſtica: cap. 3. *Martyr.* Cl. 4. cap. 13. § 13. locorum commu. *Rivet* in decal. pag. 261. *Iunium* præfatione in numeros, *Maccovium* collegii de mediatore diſput. 32. *&c.*

Deinde

Deinde et exemplum hoc perpetuæ æquitatis est; innititur enim discrimini divinitus stabilito, quo officia regum et sacerdotum discernuntur; cujus limites refigere, et opera confundere, sacrilegium et rapina est. est que contra officium Magistratus fidelis et nutricii, libertates et jura ecclesiæ violare et vi ad sese rapere. incumbit et ecclesiæ ministris tabulas et ordinationes cultus divini custodire et propugnare, etiam contra reges in jus sacrum ecclesiæ usurpantes. violatur et communis redditur Dei cultus cum abijs dispensatur, qui divina vocatione carent. ex jure igitur communi et morali Vssias a sacerdote reprehensus est, cum sacerdotum officio defungi vellet. cui sententiæ nec *Petrus Martyr.* nec alij authores a D: Vedelio citati repugnant, sed potius subscribunt et assensum præbent.

Quarto loco sedulo considerandum quod Vir Cl. pag: 23. in responsione ad conciliorum et patrum dicta a *Bellarmino* allata asserat positiones sequentes.

1 *Quod magistratus non habeat potestatem in proprio officio ministrorum*: quod recte considerandum; uti et *Paræus* internam omnem potestatem ecclesiasticam a magistratu remouet: quod quomodo cum sententia Cl. Viri multis in partibus conveniat, non video, disciplina enim ecclesiastica, ejus exercitium; vocatio

pastorum; judicium publicum ex ministeriali vocatione declarans, quid reperiat in Sacra scriptura esse definitum, in rebus religionis et fidei, in Synodis latum: in proprio munere et officio pastorum et ministrorum ecclesiæ numerantur, et numerari debent, ut in sequentibus manifestum fiet; quæ proinde a magistratuum officio removenda sunt.

2. *Quod magistratus etiam non habeat potestatem absolutam circa res ecclesiæ quidvis pro libitu & contra verbum Dei statuendi.* Pro potestate igitur magistratus non decertandum doctorum judicijs et authoritate humana, sed verbi Dei tabulis et testimonijs; nihilque magistratui tribuendum, quod plena certioratione fidei divinæ non constat: ut magistratus in omni negotio ecclesiastico, conscientia, non dubia erronea aut vacillante; sed certiorata et sancta, officio suo defungi possit.

3 *Asserit quod regibus & magistratibus qui adversarij sunt ecclesiæ & religionis, potestas ista ecclesiastica non competat, quæ quidem ex verbo Dei magistratui fideli & Christiano est deferenda.* Nos vero de hoc puncto, an magistratui Christiano fidei & ecclesiæ nutricio, major potestas authoritas aut jus, in rebus ecclesiasticis, competat, quam infideli; aliorum Doctorum judicia & sententias proferemus & ex ijs thetice quid sentiendum videatur exponemus, sic igitur

acerrimu

acerrimus libertatis ecclesiæ Scoticanæ defensor, & summi judicij author, qui altare damascenum conscripsit, inquit, Cap. 1. de potestate regia: *Et certe quantamcunque de jure habet potestatem princeps in causis ecclesiasticis, habet quatenus princeps simpliciter, & non quatenus princeps Christianus. Spalatensis asserit principis potestatem in externis ecclesiæ, jure divino & naturali positivo cum potestate regia, ita necessario connexam esse, ut infidelis etiam princeps, tali, si velit & sciat, legitime uti possit potestate. & Turcicos ego*, inquit, *magistratus in mea diœcesi Spalatensi, quæ maxima ex parte Turcis subest, expertus sum invigilantes supra Christianos subditos, ac præsertim ecclesiasticos ministros, ut leges proprias servarent. nihil igitur novi juris accedit principi ex Christianismo: tantum scientiæ lumine et voluntatis inclinatione redditur magis idoneus et promptus, ad dextre & commode exercendam suam potestatem. quod si eodem vitio laboraverit, quo ethnicus, vel cæcæ mentis, vel depravatæ voluntatis, non cessabit. ab officio suo ecclesia ubi opus fuerit; nec sibi, aut membris suis, in casu necessitatis deesse debet: si quidem potestas principis, sive ethnici, sive Christiani, cumelativa, est non privativa; salus ecclesiæ suprema lex esto.*

Cl. Voetius de hoc quæsito ita disserit in tractatu de potestate ecclesiastica *objectio. Magistratui Christiano & ecclesiæ nutricio nullum aliud*

ud jus competeret quam cuivis infideli. atque hoc absurdum est. Resp. negatur minor, ut fideli competit illi in spiritualibus, quod cuicunque ecclesiæ membro; ut magistratui, nihil ratione publicæ & architectonicæ potestatis illi competit quod non & omni magistratui conveniat, quia potestas politica eadem specie est, penes principem infidelem, & penes fidelem, & quidem circa scholastica, militaria, ecclesiastica &c: est enim una et uniformis, nec multiplicari potest, ut nutricio et patrono, si quid præterea illi aliquando tribuatur, id voluntariæ concessionis est, non juris, essentia enim et forma juris (uti omnis forma rei) *in indivisibli posita est, nec admittit magis aut minus. gratia fidei si accedat ad potestatem magistratus infidelis nec ponit aut tollit, nec intrinsece et essentialiter mutat naturam rerum, aut jura naturalia; habent enim se ad invicem mere per accidens quia unum non est de ratione alterius, nec ad eam pertinet.*

Doctor *Amesius* contra *Bellarminum* Tom. 2. cap. 1. ita respondet ad objectionem *Bellarmini*, quod Christus ecclesiam gubernandam commisit, non Tiberio, sed Petro, agit autem ibi de concilii convocatioe, *si Tiberius plerosque omnes episcopos convenire fecisset in unum locum, qualiscunque ejus fuisset animus, potuissent ibi congregati, inter se consilia communicare, & statuere quæ essent in bonum commune, more concilij generalis idque in nomine Christi: sicut Paulus*

lus & Silas congregati fuerunt in carcere ad orandum Actor. 16.25. Nihil impediebat quin Tiberius idem præstare potuerit in concilio Christiano convocando, quod Cyrus præstitit in concilio & reditu Iudæorum procurando Nehem. 1. 6. Imperatoribus & principibus Christianis quoad executionem plus merito potestatis tribuitur in rebus ecclesiasticis, quam Tiberio aut alijs infidelibus potest aut debet.

Solidissimus Theologus & Concionator gravissimus *Gersomus Bucerus* in dissertatione de gubernatione ecclesiæ pag. 93. sic inquit. *Equidem plurimum discriminis esse inter ecclesias, quæ Magistratui vere Christiano parent, & eas, quæ infideli seu pseudochristiano subsunt, facile concedimus. Immensa enim beneficia, à principibus qui sese suaque omnia Christo addixerunt, in ecclesiam proficisci, jampridem experimentis haud obscuris compertum habemus: sed ecclesiæ politiam ab Apostolis constitutam, & cum incredibili veræ pietatis augmento passim observatam, sub illorum imperio immutari debuisse, id vero pernegamus. quamvis enim subditorum suorum corruptis moribus optimarum legum constitutione obviam ire fateamur, non tamen id beneficii sic præstare certum est, qui ecclesiæ, nihil ipsorum imminuta dignitate, partes suæ integræ sint, & manere integras ex communi fidelium usu sit.*

Ex hisce testimoniis hæc porismata colligimus.

1. Ius

I. Ius & potestatem fidelis & infidelis Magistratus, etiam circa res ecclesiasticas, unam eandemque esse: ita ut fideli ratione dignitatis & muneris, nulla potestas, aut authoritas competat, quin infideli, vi muneris sui, æque conveniat.

II. Hanc tamen potestatem in Magistratu infideli, quoad executionem, impeditam & ligatam esse, ut ecclesia illa bona & commoda, ex & per eam recipere non possit; ob defectum aptitudinis ad exequendam suam potestatem, quia vitio cœcæ mentis, & depravatæ voluntatis laborat.

III. Magistratui fideli, non quoad Ius, sed quoad executionem merito plus tribui in rebus ecclesiasticis, quam infideli; quia virtute fidei magis idoneus est ad potestatem suam exequendam.

IV. Magistratui nomine Christiano, sed eodem vitio laboranti, quo ethnicus, nihilo plus etiam in potestatis exercitio in rebus ecclesiasticis tribuendum, quam infideli: nam ex regula, *idem iuris est & de eo quod non est, & quod non videtur.*

V. Magistratus re & nomine Christianus, multa in ecclesiam beneficia confert, at politiam in ecclesia ab Apostolis constitutam non immutat; sed omnia jura, libertates, & munia ecclesiæ integra relinquit, & ad se non rapit.

Si

Si quid in hiſce poriſmatis in controverſiam veniat, primum præcipue à Cl. Viro in dubium vocabitur; quod hiſce argumentis ſtatumino. Quia poteſtas Magiſtratus circa ſacra, eſt poteſtas politica; quæ ex jure majeſtatis & regni defluit; externum hominem tangit; poteſtate imperatoria & architectonica adminiſtratur, externam tranquillitatem & pacem ſubditorum in cultus divini exercitiis concernit: quæ proinde regi, ut regi, omni regi legitimo competit, non ratione fidei Chriſtianæ, ſed ratione poteſtatis regiæ. Hinc iſta poteſtas regis circa ſacra apud Anglos coronæ regiæ ex jure debita & annexa ſtatuitur, apud Mucketum de politia eccleſiæ Anglicanæ cap. 3. ſive igitur ſit Ethnicus, ſive Chriſtianus, ſive mas, ſive fœmina, ſive vir, ſive puer, eadem eſt poteſtas, dum modo ſit coronæ poſſeſſor. Aſſenſum præbet noſtræ ſententiæ Cl. noſter præceptor D. D. *Rivetus* in Decal. pag. 265. 266.

Quoniam omnia argumenta fere quæ Clariſſimus Vir in hac cauſa & controverſia determinanda allegat, ex Veteri Teſtamento deſumuntur; non abſque ratione inquirendum hic occurrit quæſitum, an Magiſtratus ſub Novo Teſtam. tantam jam authoritatem & poteſtatem habeat in eccleſiaſticis et ſacris rebus dirigendis, quanta quidem ſub

V. T.

V. T. est usus. Nobis illud quod Doctor *Amesius* speciatim de vocatione ministrorum statuit; quod nempe *in ordinarijs ministris ecclesiæ N. T. constituendis, major sit potestas ecclesiæ jam liberæ, quam fuit illius veteris quæ in omnibus habuit aliquid servile*, Antibellarm. Tom. 2 l. 2 de Clericis Cap, 2 not. 5. id inquam existimamus in omnibus aliis sacris administrationibus locum habere: atque adeo etiam in potestate Magistratus circa sacra ecclesiam illam veterem, aliquid servile habuisse, quod ecclesiam N. T. non urget. Etenim œconomia cultus divini V. T. ita à Deo dispensabatur, ut legis & fœderis operum contemperatio quædam cum gratia divina euangelii, in servitute quadam veterem populum contineret Gal. 4. 1. 2. 3-24. & 3. 23. 24 & quoniam Magistratus sua potestate custos & vindex est legis, quæ lex veterem populum magis urgebat ad servitutem, quam N. T. ecclesiam Rom 8. 15. Hinc etiam potestas Magistratus sub servitute legis, magis urgebat œconomiam cultus divini, sub V. T. quam quidem jam sub N. T. potest urgere; ubi servitus illa legis, quæ à Magistratu legis vindice urgebatur, gratia Novi Testamenti est sublata. A Iudæorum politia igitur necessaria non potest trahi consequentia. Iam sub N. T. pastoribus simpliciter interdicta est potestas gladii potestas civilis, quæ extra spheram jurisdictionis

ctionis ecclesiasticæ est. At quoniam jurisprudentia Iudæorum mosaicis libris comprehensa, reipublicæ gerendæ normam continebat; magna ratione sacerdotes & levitæ, tanquam illius scientiæ peritissimi, quippe quorum studium in meditatione legis præcipue viguit, in ijsdem cum judicibus subselliis sunt collocati. duplex enim fuit levitarum ordo; unus qui sacerdotibus in templo ministerium præstabant ac servilibus circa Dei cultum munijs occupatus erat: alter qui extra templum causis cognoscendis, jurique dicundo incumbebat. Ex illo ordine cooptabantur, qui ecclesiastica tractabant & Synagogam constituebant: ex isto, qui ordinariis judicibus adjuncti, causis forensibus dijudicandis adhibebantur. *Sepperus* lib. 5. cap. 3. levitis enim civilium quoq; legum Mosis, & non tantum moralium & cæremonialium interpretatio concredita erat. Hinc *Iosephus* Antiq. Iudaic. lib. 4. cap. 8. *oppidatim præsunt septem viri probatæ virtutis & justitiæ cultores; singulis Magistratibus attribuantur duo ministri de tribu levitica.* Sicut igitur ministri verbi Dei, tanquam civilis juris arbitri & disceptatores eundem sibi locum non possunt vendicare, quem veteres sub Mose sacerdotes tenuerunt; ita nec eundem locum jam occupant politici Magistratus, quem Moses & reges sub V. T. in ecclesia tenuerunt.

Hoc

Hoc caput concludo illuſtri illuſtris viri teſtimonio, *Franciſci Junii* nempe, qui differens ad Iacobum Scotiæ regem in præfatione Analyſi in num. lib. præfixa, graviſſime nos ita inſtruit.

Quid enim? politico nonne Moſes præfuit, dum Aaron prius deinde Eleazar præſedit eccleſiaſtico? Nonne Ioſue præſes illius fuit, dum in hujus præſidio Eleazar & Phinehas ſunt occupati? ſic David regno præibat, & eccleſiæ Sadock &c. ſic denique omni ſeculo ante deportationem in Babyloniam factitatum: quod quidem ex ſacris ſcripturis conſtare poteſt.

Nec ille in hujus adminiſtratione pedem poſuit, quia divinæ ſolum inſtitutionis, divini juris hanc cognovit eſſe; neque hic in functionem aut authoritatem tranſivit illius; nempe ſuum eſſe miniſterium rerum divinarum, per modum conſcientiæ, ad ſalutem animarum ſibi eſt conſcius, non imperium rerum humanarum, per modum humanæ ordinationis, ad ſocietatem humanam, & rationem præſentis vitæ: quæ ſi quis affectat una, profecto onus ſuum neſcire dicendus eſt. Vt enim Moſes non potuit ferre onus populi in cauſis atque conſiliis, ſic in rebus divinis ſe infantem eſſe profeſſus eſt: & Paulus cum de ſe ipſo ſuam prædicat ἱκανότητα, tum de aliis conſervis dicit, ſed ad hæc quis idoneus? 2. Cor. 2. 16. Confuſio autem (ut de ſingularibus exemplis & factis,

&tis taceamus) confusio inquam publica, primum ex occasione extraordinaria nata, post ex inscientia horum, & ambitione illorum fuit confirmata. Extra ordinem occasio fuit, quum Machabæi fuerunt ad liberationem populi & ecclesiæ excitati: factum bene, nam extra ordinem à Deo est. Sed quod resilla in ordinem postmodum abiit, & sacerdotes civilem authoritatem sibi vendicarunt, atque in Pharisæorum manus, quasi transiverunt, inique factum: Nam rem extraordinariam in ordinariam converterunt: alij, quia rectum id esse putaverunt, quum rem ordinariam ab ea quæ extra ordinem geritur nescirent discernere; alii quia ambitione sua indigne illa extraordinaria majorum suorum rapiebant suo commodo ad ordinis publici conturbationem; quæ eadem opera semper reipublicæ & ecclesiæ funesta est. Iosaphatum regem laudo, curantem extra ordinem quæ sunt ecclesiæ in malo extraordinario; sed imperio consilioque solum instantem, ut partibus suis fungerentur sacerdotes, & quæ Deus præcipit in ecclesia procurarent, ex imperio Dei, non ex vi aut præscripto mandati regis. Iochananem Sacerdotem laudo, curantem extra ordinem quæ sunt regni in malo extraordinario, quia avunculus erat pueri regis oppressi, & sanguinis jure tutor; sed prudentiam atque modestiam ejus

deoſculor, quod rege inſtituto, & officio extraordinario in eo præſtito, in finibus rerum ſacrarum continuit ſeſe, nec latum ſe unguem extra eos raptari paſſus eſt, in miniſterio ſacro divinitus ſibi commiſſo conquieſcens. Nec Huziæ integrum fuit ſacerdotium contrectare. Nec ſacerdoti regnum. Quæ Deus diſcluſit homo ne jungat. Sacerdotii juſti Synædrio, quid cum humano regno? & politico Synedrio, quid cum eccleſiæ adminiſtratione commune? neſcit onus ſuum, quiſquis ſibi alterum inſuper deſiderat: ad utrumvis reſpicias, impares ſumus, niſi adſit Deus: ad utrumque ſimul ordinarie uni homini ſe adfore nunquam promiſit Deus: quid ſibi homo ſine Deo ſpondeat? hic enim ſtatuit, qui & infirmitatis humanæ ſciens, & ordinis, vocationis, cultus, rerumque ſuarum zelotypus, extra ordinem facit quæ vult; vult autem raro: non eſt cujuſquam hominis ſine vocatione extraordinaria Dei ordinem convellere. Huc uſque Clariſſi. Iunius.

CAP. V.

De objecto, forma, & modo poteſtatis Magiſtratus circa ſacra.

RES

Digitized by Google

RES Sacras, circa quas versatur potestas Magistratus, jam declaramus, & sequentibus Aphorismis concludimus.

I. Ministri, quatenus sunt homines, et cives, una cum agris, opibus, & possessionibus suis, subjiciuntur Magistratus potestati coactivæ, ex lege Dei & jure divino: quod statuimus contra exemptionem Clericorum a Pontificiis propugnatam; qua Clericis ex judicis secularis judicio eximunt, etiamsi leges civiles non servent; & bona clericorum, tam ecclesiastica, quam secularia, libera à tributis principum secularium statuunt: quod nos existimamus pugnare, 1. cum legibus & exemplis V. T., 2. cum jure naturali, quo partes omnes reipublicæ subjiciuntur judicio totius. 3. cum Apostolico præcepto Rom. 13. 1.2.3. & 1.Petri 2. 13 14. 15. Vbi Chrysostomus notat hæc dici etiam clericis & monachis, ipsis etiam Apostolis & Euangelistis. 4. cum exemplo Christi qui quatenus legi subditus tenebatur etiam tributis & obedientia principum secularium Matth. 17. 26. unde est, ut Cajetanus notat, *quod scandalum activum fuisset in ipso negatio census, ne scandalizemus dicit, non ne scandalizentur. v.* 27.

II. Facta & mores ecclesiasticorum, censuræ, et judiciis Magistratuum sunt obnoxii, sicut et omnium subditorum, et civium, quia

membra sunt reipublicæ. Hinc si leges imperii non servent, mulctantur, et puniuntur pro meritis à civili Magistratu; ex potestate civili, coactiva, suprema, imperatoria, non delegata, aut demandata ab ecclesia. Patet hoc, non tantum argumentis thesi præcedenti allatis, sed manifestissime exemplo illo decantato Abiathari, qui à Salomone in exilium relegatus est ob conspirationis scelus, cujus cum Adonia particeps et reus erat: qui non ecclesiastice à sacerdotio amotus, sed civiliter ut læsæ majestatis reus relegatus est a Salomone rege, civiliter judicante, seu judicium civile exercente: et privatio exercitii sacerdotalis erat consequens relegationis. non primario sententiam depositionis ab officio ecclesiastico in sacerdotem tulit Salomo, sed tantum secundario; per consequens necessario antecedenti annexum: sicut qui capite luit omni jure et exercitio potestatis privatur, etiam maritalis et patriæ, consequenter, secundario. Recte Cl. *Junius* de Conciliis lib. 1. cap. 20. Not. 8. *Non est nescius Bellarminus*, inquit, *id juris communis esse, ut reus ex malefacto sortiatur judicem, si in re sacra peccavisset Abiathar, ad sacerdotes pertinuisset cognitio illius; sed quia in rempublicam peccaverat, majestatemque regiam; civiliter & non ecclesiastice agi cum eo oportuit. Salomo ergo & alij, ut principes judicaverunt civiliter, judicium*

judiciumque exercuerunt legitime; non autem administrationem ecclesiasticam obierunt.

III. Omnia impedimenta cultus divini, & religionis, externa, Magistratus, sua potestate removet: si quid inique perpetretur quod ecclesiæ pacem perturbet, jura & libertates ecclesiæ damno & injuria per vim aut dolum afficiat, quod exercitia veri cultus Dei confundat, & promotioni religionis externa vi resistat, sua authoritate & potestate, vi coactiva & armata, removet, expellit, & fugat illa omnia Magistratus: Idololatriæ igitur, blasphemiæ, superstitionis, & hæreseos vere ita dictæ, exercitia impedit edictis, pœnasque transgressoribus edictorum infligit. Hinc perstringuntur Magistratus, & vitio vertitur, quod *excelsa non amoverint* 1. Reg. 15. 14. & 22. 44. 2. Reg. 12. 3. laudi datur & extolluntur cum ea everterint: 2. Reg. 18. 4. & 23. 8. 13. 19. Vide exempla *Ezechiæ*, *Iehosophati*, *Iosiæ*, Hoc etiam indicat Sp. Sanctus in historia populi Dei sub Iudicibus ubi indicare volens, quare Idololatria apud Israelitas viguerit, nec repressa fuerit, hanc causam reddit, *quia in diebus illis non erat rex in Israel, ideo unumquemque quod rectum videbatur in oculis suis fecisse*, Vide Iudic. 17. 5. 6. & 18. 1. Cultus ergo Idololatricus principis gladio & potestate cum exstat, coercetur; principe vero deficiente vi-

tia illa ingruunt, quoniam armata vi gladii externi iis resilti non potest.

IV. Curat, & sua authoritate dirigit Magistratus omnia externa civilia, quæ cum rebus spiritualibus connexa sunt, & disciplinam externi hominis concernunt. Distinguenda enim sunt, quæ intus à pastoribus in officio ecclesiastico peraguntur, & formaliter ecclesiastica sunt; & ea, quæ externe sacrarum rerum administrationi adjacent; quod tali vel tali externa περιστάσεις, decore, & splendore civili, talibus adminiculis politicis suffultæ res sacræ dispensentur publice &c. hæc omnia, cum ex æquo & bono imperantur, Magistratus sua authoritate instituit, ordinat, & urget. Huc applicanda est sententia *Constantini*, vos episcopi estis τῶν ἔσω ego episcopus τῶν ἔξω, eorum quæ intus sunt in ecclesia, ego eorum quæ extra sunt. Qua sententia *Cl. Rivetus*; *recte*, inquit, *distinguebat inter ea quæ intus aguntur à pastoribus in officio, ut loquuntur, divino, & ea, quæ pertinent ad externam administrationem, & ordinem, sive dispositionem, & constitutionem eorum, quæ ad res divinas in ecclesia recte administrandas faciunt.* Externa igitur administratio & constitutio eorum, quæ rebus divinis in ecclesia recte administrandis accedunt, ex vita communi & civili, et sua natura externa civilia sunt, non interne ecclesiastica

stica; eorum, inquam, externa dispositio Magistratus est. Attamen omnia externa, quæ fiunt in ecclesia, Magistratus sua authoritate non potest ordinare, instituere, nec administrare: sunt enim quædam externa, quæ sunt τὰ ἔσω τῆς ἐκκλησίας quæ formaliter ecclesiastica, & spiritualia sunt, et inter ea quæ sunt τὰ ἔξω non sunt numeranda: nam quemadmodum ecclesia visibilis, quamquam externa, regnum tamen Christi cœleste est Matth. 13. 24. Ita externa euangelii prædicatio et administratio verbum regni Dei, et ipsum regnum cœlorum appellatur Matth. 3. 2. 11. 12. 13. 14. Sic et externum regimen ecclesiæ ad regimen Christi cœleste et spirituale pertinet: *administratio enim illius*, inquit, *Parkerus* de politia ecclesiastica lib. 1. cap. 6. *à spiritu proficiscitur, spirituſque donis perficitur* 1. *Cor.* 12. 1. *ergo spirituale: quod ad finem, datur ad ædificationem spiritualem Ephes.* 4. 12. *ergo spirituale: quod ad materiam, verbum & sacramenta quæ administrantur spiritualia sunt,* 1. *Cor.* 10. 3. 4. *ergo spirituale: quod ad formam agendi, per evidentiam spiritus agit* 2. *Cor.* 2. 4. 13. *ergo spirituale, quod ad objectum spiritus & animos hominum respicit Heb:* 13. 17. *ergo spirituale: quod ad media operatur per arma spiritualia* 2. *Cor.* 10. 4. *ergo spirituale; quod ad effectum ministerium spiritus est* 2. *Cor.* 3. 6. *ergo spirituale est.* cum igitur externum regimen ec-

cleſiæ etiam ſpirituale ſit; ſpiritualia in eccleſia Magiſtratus non inſtituit, nec adminiſtrat; ſed externa diſciplina earum rerum, quæ cum rebus ſpiritualibus, etiam externis, attamen formaliter eccleſiaſticis, connexæ ſunt, ex ordinatione et adminiſtratione Magiſtratus dependet et conſiſtit. Hinc Magiſtratus à Theologis definitur, *perſona divinitus ordinata ad ſocietatem quorumlibet hominum ſecundum leges honeſtas divinas & humanas gubernandam; ac gladio armata, ut bonos tueatur, malos puniat, hoſteſque coerceat; ad externæ diſciplinæ, paciſque publicæ conſervationem Rom.* 13.1.4. Profeſſores Leydenſ. in Synopſi Theol. diſput. 50. et appoſite *Martyr* loc. com. claſſe 4. loc. 13. §. 1. *Nunc ſupereſt ut de Magiſtratu agam, quem judico ſic poſſe deſcribi, ut ſit perſona divino inſtituto delecta, ut quoad externam diſciplinam, leges cuſtodiat, pœna corporis tranſgreſſores plectendo, & bonos foveat, atque amplectatur. Multæ ſane perſonæ inſtituto Dei eliguntur, qui non ſunt Magiſtratus, ut miniſtri eccleſiarum; qui tamen verbi Dei & legis ejus cuſtodes ſunt, ſed non tantum quoad externam diſciplinam, qui miniſtrorum eſt officium per verbum Dei ad intimos uſque motus animorum pertingere, quoniam ſpiritus ſanctus vim ſuam adjungit, cum prædicationibus orthodoxis, tum etiam ſacramentis, quæ in eccleſia diſcribuuntur. Magiſtratus vero in tranſgreſſores*

diſciplinam

disciplinam & pœnam externam tantummodo exercet.

V. Ipse spiritualis Dei cultus, illa quæ ad Deum spectant, et Christi nomine in ecclesia administrantur, id est, ecclesiastica, quæ ad spiritualem ecclesiæ potestatem et politiam spectant, etiam politicæ Magistratus potestati subsunt; qua potestate Magistratus spiritualem Dei cultum, et internam ecclesiæ potestatem et politiam, a Deo institutam, et ordinate ab iis, quibus id ex vocatione ecclesiæ incumbit, administratam, procurat, præcipit, defendit, et fovet. Hoc modo res sacras tractavit rex *Ezechias*, 2. Chroc. 29. 5. 24. præcipiens primum Levitis et Sacerdotibus ut suum exequantur munus, deinde populo, cap. 30. 1. ut accedat et adoret Iehovam: et tamen utrosque ut sese corrigant, componantque ad tuendam religionem. et 2. Reg. 18. 6. dicitur *in eo adhæsisse Iehovæ, & observasse præcepta ejus, quæ præceperat Mosis.* Id enim vi muneris ordinarii in malo extraordinario præstitit. Et ita statuimus cum orthodoxis Theologis, cum rex jubetur a Mose Deut. 17. omnia præcepta legis observare, faciendo ea, voluisse Deum iis verbis, ut ea observaret, non solum qua privatus, sed qua rex, conando curandoque, ut omnes sibi subjecti officia sua tum erga Deum, tum erga homines præstarent. Hinc recte *Amesius* de officio

cio Magistratus erga subditos in cas. consc. lib. 5. cap. 25. thesi 8. *prima Magistratus cura debet esse, religionem promovere, impietatem prohibere Esa. 49. 23. Psal. 2. 11. exempla hujus curæ laudantur in Davide, Salomone, Iehosaphat, Hezekia, Iosia &c.*

VI. Circa has res sacras versatur potestas Magistratus politice & modo externo. Nam sicuti nulla actio adeo secularis est, modo ab ecclesiæ membro præstetur, quin quatenus observantiam erga Deum respicit (in casu conscientiæ ut loquuntur) pertinere possit ad ecclesiasticam cognitionem & potestatem, quæ suo modo, id est ecclesiastice & spiritualiter, circa eam versatur: ita nulla res, persona, aut causa tam est ecclesiastica, quin aliqua ratione pertineat ad jurisdictionem Magistratus quæ circa eas versatur politice. Optime *Amesius* in cas. conscientiæ lib. 5. cap. 25. thesi 18. *negotia Iehovæ & negotia regis* 2. Chro. 19. 11. *non sunt ita disparata, quasi cura & cognitio eorum quæ sunt Dei, non pertineret ad regem; sed ita distinguntur ut in modo procurandi, rex politice suas partes agat, & sacerdos ecclesiastice suas.* Sic ecclesiæ Anglicanæ puritanorum (ut invidioso nomine vulgo vocantur) profitentur ex animo, ut inquit *Amesius* in puritanismo Anglicano Cap. 6. de civili Magistratu *Magistratum cujuscunque generis politice summum, summum*

mum etiam sed politice, rectorem esse omnium ecclesiarum, quæ in ditionis ejus terminis continentur; & omnium causarum actionumque moderatorem, sed politice. Nam qualis est causa, talis est effectus; potestas Magistratus circa ecclesiastica est formaliter & sua natura politica, ut in superioribus rationibus gravissimis est comprobatum, politice igitur tantum agit, quamvis circa ecclesiastica occupetur. Nulla actio formaliter ecclesiastica legitime & recte præstari potest, nisi ex vocatione & functione ecclesiastica & divina; nemo enim sumit sibi hunc honorem nisi vocetur, ut & Aaron Heb. 5. 4. Rom. 10. 15. Cum igitur Magistratus ecclesiastica vocatione & functione careat, ecclesiastice & spiritualiter circa res divinas versari non potest, sed politice & civiliter tantum pro ratione sui muneris,

VII. Potestas Magistratus non utitur mediis spiritualibus in exercitio sui muneris circa res spirituales, sed brachio seculari, & eis mediis, quæ civile regimen & ratio naturalis suppeditat; non quæ divina institutio ad res spirituales sanctificat. Non igitur verbi prædicatione, sacramentorum administratione, disciplina ecclesiastica, regimine ecclesiæ spirituali, nec potestate illa, quam Dominus dedit in ecclesia ad ædificationem, de qua Apostolus 2. Cor. 10. & 13. utitur aut defungitur ipse: sed

sed gladio corporali præmiis et pœnis civilibus, authoritate et imperio, prudentia politica etc. totum suum munus circa ecclesiastica exequitur. Hæc sententia prona excipitur approbatione etiam ab iis, qui acerrime pro primatu regis Angliæ, ejusque suprema gubernatione in rebus ecclesiasticis decertarunt. Ita *Rob. Burchillus* pro Tortura Torti contra *Martin. Becanum* Iesuitam cap. 21. *supremi in quoq; genere gubernatoris non est, exequi singulorum officia, sed curare ut suum quisque officium exequatur. Vtque in supremo gubernatore in rebus conjugalibus, non requiritur ut potestatem habeat conjugalem: ita nec in supremo gubernatore in rebus sacerdotalibus, requiritur ut habeat potestatem sacerdotalem. Vtque in alio quovis genere, facultatis & potestatis denominatio (etsi ab objecto & fine non absurde ducatur) potius à mediis ducitur per quæ operatur: ita in potestate Regia circa res religionis, &c. finis & sæpe objecta spiritualia sunt, tamen quia non operatur ut sacerdos, per media spiritualia ideo ipsa quidem potestas, si proprie loqui velimus, non tam spiritualis dicitur, quam circa spiritualia.* Sic Apostolus, gladio, pœnis et præmiis Magistratum in executione suæ administrationis uti asserit Rom. 13. 3. 4. Omnes etiam reges pii sub V. T. cum ex regia potestate munere suo circa res ecclesiasticas defuncti sunt, non spiritualibus, sed politicis mediis, imperio, regia authorita-

te

te &c. usi sunt circa res sacras. Potestas dispensandi sacra per sacerdotalia spititualia seu ecclesiastica media, est potestas specialis juris, quæ specialia quædam officia respicit, aliis illicita.

VIII. Potestas Magistratus nec formaliter nec eminenter continet in sese, sive totam potestatem ecclesiasticam, sive ejus partem.

1. Non formaliter continet potestatem ecclesiasticam, quia re ipsa, simpliciter proprie, intrinsece, potestas Magistratus non est potestas spiritualis, ecclesiastica; propriis actionibus, dignitatibus, finibus, officiis Deus illa munia discrevit: *administrationis politicæ & ecclesiasticæ varia est forma, essentia, & natura* inquit *Amesius* in Bellarminum Tomo secundo, capite nono Not. 13. Quod etiam vel hinc liquet; quia Deus sub Veteri Testamento nullum unquam extraneum, qui ad functionem muneris ecclesiastici ex ordine divinitus instituto non erat vocatus, ad potestatem ecclesiasticam & spiritualem exercendam, admisit; sed sub pœna mortis ab ea removit: vide loca Numerorum 1.47. & 3.5. Et historiam Dathani, Abirami, & Corah Num. 16. Chusæ 1. Chro. 13. 4. quod in ipsos reges etiam valere exemplo Husiæ 2. paralip. 28. 8. Deus manifestum fecit. Proinde cum quidpiam in re ecclesiastica reges & judices populi Dei aggressi sunt id speciali &

ex-

& judices populi Dei aggressi sunt, id speciali & extraordinaria vocatione, & mandato particulari divinitus revelato susceperunt. In N.T. Magistratus munus nusquam inter ordines enumeratur, quibus potestas ecclesiastica formaliter competit & demandata est; vide loca Ephes. 4. 11. 1. Cor. 12. 28. Ecclesiæ contra claves regni cœlorum, & omnis potestas ad ædificationem corporis Christi est injuncta, Mat. 18. 18. Imo rex & Sponsus ecclesiæ Christus potestatem Magistratus a potestate ecclesiastica, ut essentialiter diversam, discriminavit Matth. 20. 25. 26. Luc. 22. 26.

II. Nec eminenter continet potestas Magistratus potestatem ecclesiasticam; id est nec radicaliter aut virtualiter: ita ut nec ipse formalem illam potestatem ecclesiasticam habeat, ut ex vi & ratione sui muneris eam possit exercere; nec illam potestatem ejusque exercitium aliis qui eam formaliter haberet, tribuat; proinde nec radix nec virtus muneris ecclesiastici in potestate politica continetur, a quo potestas ecclesiastica in aliis defluret. Sicut sol quamvis formaliter proprie & qualitate insita non sit calidus, eminenter tamen calidus dicitur, quia calorem in rebus sublunaribus causat, & virtute sua influit & derivat: hoc modo, inquam, potestas ecclesiastica Magistratui non competit. quod hinc manifestissime

me patet; quia potestas ecclesiastica residet, & exercetur, Magistratu in ecclesia non existente, ab eo igitur non fluit. Deinde ipsi ecclesiæ a Christo hujus potestatis authore, & summo spirituali ecclesiæ Magistro, legislatore, rege, omne jus ecclesiasticæ potestatis est demandatum et concessum Matth. 18. 18. 1. Cor. 5. 3. 4. cujus exercitium in ἡγεμόνας id est in eos, qui ecclesiæ præsunt transfertur Heb. 13. 17. Iam vero Magistratus non est ecclesia, nec ecclesia Magistratus, qui accidens est ecclesiæ, quod potest adesse et abesse citra subjecti corruptionem. Radix igitur hujus potestatis primario est in Christo, secundario in ecclesia, quæ eam habet et continet. Deinde potestas hæc ecclesiastica exercetur non virtute et nomine Magistratus civilis, sed nomine Christi et ecclesiæ, huic igitur eminenter ea competit.

III. Assero nec aliquam partem muneris et potestatis ecclesiasticæ sub munere et potestate Magistratus contineri: nam ut totum ita et partes potestatis ecclesiasticæ a potestate Magistratus essentialiter sunt diversæ: Omnes etiam partes ecclesiasticæ potestatis, ecclesiæ sunt demandatæ. etiam ita a se invicem dependent ex institutione Christi et jure divino, ut una ab altera non possit separari. Cum igitur constat totam ecclesiasticam potestatem

sub

sub munere et potestate politica non contineri, sequitur & nullam ejus partem contineri.

IX. Potestas Magistratus circa res proprie synonymoos, et formaliter ecclesiasticas non est potestas absoluta monarchica: quæ res sacras instituat, ordinet, dispenset, administret, demandet, deleget, et tractet, pro libitu et authoritate: ut enim regimen monarchicum ab ecclesia est alienum, et Christus solus monarcha in ecclesia est, imperatoria & architectonica potestate instructus; ita potestas monarchæ seu monarchica nulli hominum in ecclesia est demandata; loci Matth. 20. 25. 26. & Luc. 22. 26. id invicte demonstrant; sicut solidissime probarunt contra pontificios reformati doctores: vide Antagonistas contra *Bellarminum*, *Junium*, *VVhittakerum*, *Amesium*, *Chamierum*, *Sutlivium*, de Pontifice Romano. Non est etiam potestas vicarii, qui ex potestate delegata Christi ordinat aut administrat res ecclesiæ sub imperio delegantis: Christus enim vicarium in terris in ecclesiæ regimine nullum habet, ut qui semper ecclesiæ præsens Matth. 28. 20. vicario non indiget, nec utitur in ecclesia sua gubernanda; ut evidentissime authores citati adversus *Bellarminum* demonstrarunt; quibus nihil addo. Non est etiam potestas œconomi & dispensatoris, qui spiritualia & sacra mysteria

mysteria ministeriali potestate ecclesiastica dispensat; ea enim pastoribus, ministris, & delegatis Christi sub regno ejus mediatorio est demandata 1. Cor. 4. 1. 2. 2. Cor. 5. 20. Sed est potestas custodis, qui vicarius Dei creatoris in terris, & rebus civilibus, extra ecclesiasticum & spirituale regimen constitutus, extrinsecus a Christo assumitur, ut ecclesiam, res, & potestatem ecclesiæ spiritualem, & totum ejus regimen custodiat, conservet, nutriat, foveat. In hunc sensum accipiendum, quod Magistratus a reformatis *utriusque tabulæ legis custodes* nuncupantur ex Deut. 17. quod a Spiritu Sancto *nutricij & tutores* vocantur Esa. 49. 23. Hoc modo *in bonum* etiam *spirituale*, ex judicio interpretum, Magistratum esse affirmat Apostolus Rom. 13. 3. Hic tamen custos & nutrix ecclesiæ hanc custodiam & tutelam ecclesiæ agit, potestate imperatoria suprema, non ab ullo hominum delegata; solum sub Deo, & ex præscripto legis divinæ: est enim munus, officium, & actus potestatis supereminentis.

X. Hinc potestas Magistratus non minuit, restringit, aut adversis frontibus concurrit, sed amice conspirat, nutrit, & fovet potestatem ecclesiæ spiritualem. Appositè *Sanchius* in hanc rem agens de disciplina ecclesiastica *falsum est*, inquit, *ecclesiam sua excommunicatione impedire*

 autho-

authoritatem Magistratus. Nam licet semper Magistratui suum officium facere in delinquentes, sive excommunicati sint, sive liberati ab excommunicatione; diversa est enim utriusque authoritas, diversa puniendi ratio, diversi fines. Ita ut neque ecclesia cum politico Magistratu in hac parte pugnet; neque Magistratus politicus suum faciendo officium, ecclesiæ potestatem impediat impedireve possit. Sanchius de statu peccati & legali, loco de disciplina ecclesiastica. Et *Junius* in genere, *Nec imperium fert sacerdotio leges, à Christo habet sacerdotium, nec sacerdotium imperio, ne in iis quidem rebus ad quas utriusque administrationem oportet concurrere* controvers. 4. lib. 1. Cap. 12. Not. 15. utriusque enim potestatis, officia, actus, fines, & limites à Deo ordinis author, & confusionis hoste, instituti & descripti sunt: quod Deus conjunxit, homo ne separet: quod distinxit, homo ne confundat.

XI. Magistratus igitur nec ratione, vi, & potestate muneris sui civilis, quamvis circa ecclesiastica versetur, restamen spirituales, & formaliter ecclesiasticas nullas obire, exercere, aut peragere potest; sed tantum procurat, ut agantur ab iis, qui jus & potestatem spiritualem habent. Nec ipse instituit, aut mittit ad eos, qui res spirituales tractent; sed à Deo & ecclesia missos agnoscit, defendit, &

ad

ad officium instigat & adhortatur. quod omnibus patet ex hisce argumentis; 1. Negative, quia potestas Magistratus nullibi in scriptura, in omnibus exemplis principum, & regum V.T. cum officio suo ex ordinaria potestate sunt defuncti, ulterius extendatur. Asserit Cl. *Rivetus*, recte an secus jam non disputo, *quod à more & instituto præsertim, Israelis & Judæ regum piorum, hujus quæstionis arcessenda sit solutio, à quo vim & nervos sumit; quia in Israele populo suo regnum instituit Deus, & ecclesiam in regno ex mente sua. Exemplum inde sumendum est*, inquit, *cum in N. T. quotempore scripserunt Euangelistæ & Apostoli, nusquam in unum coaluerint ecclesia & imperium; quin potius procul se hoc habuerit ab illa.* Iam vero in omnibus V. T. exemplis nihil ostendetur, quod limites jam a nobis præscriptos excedat: quin facile demonstrari possit, ipsos extraordinaria divinitus revelata, non ordinaria muneris regii potestate id peregisse. 2. Affirmative, quia omnes sive reges, sive Magistratus, sive privati, pœnis a Deo mulctati sunt; qui in ea, quæ ecclesiastica & sacerdotalia erant, sese ingerere ausi sunt; exempla modo sunt allata Chusæ, Vsiæ, Sauli etc. 3. Ex vocationis & functionis natura judicandum est de opere proprio, quod pertinet ad functionem, quæ vocatione injungitur. Functio Magistratus est

civilis; opus ecclesiasticum igitur illi non est proprium: vocatio qua Magistratus munus alicui injungitur, non est ecclesiastica, sed specie ab ea diversa; ex illa vocatione igitur non potest ecclesiastica subire, aut ecclesiasticam vocationem dare. Concludimus hoc caput verbis *Renati Choppini* in præfatione operis de sacra politia, ex citatione *Caldervvodi*, *regiam nimirum authoritatem ecclesiæ solum metimur commodis, tantumque ipsi tribuimus, ut sacro cœtui quæ adjumento esse debet, offendiculo non sit; neve cujus adjutrix ornandæ illæ quondam fuit, ecclesiasticam opprimat libertatem. Haud secus ac Horatiani equi auxiliator in cervum, cujus implorata ope frenoque recepto, victor quidem equus decessit ab hoste, at non equitem dorso, aut frenum depulit ore.*

CAP. VI.

Examen quæstionis tertiæ á D. Professore Vedelio excussæ.

QVeritur *an potestas Magistratus sese extendat ad omnes partes officij ministrorum ecclesiæ.* Affirmativam tuetur Vir Cl. & hanc totius reformatæ ecclesiæ doctrinam esse asserit ex testimoniis Amesij, Petri Martyris, Sibbrandi,

di, Iuelli, Riveti. vide pag. 24. 25. 26. Hoc nos male habet, quod Vir Cl. doctrinam totius reformatæ ecclesiæ estimat ex testimoniis quorundam doctorum; quod contra Remonstrantes semper Belgicarum ecclesiarum doctores ostenderunt falsissime dici: Doctrina enim reformatarum ecclesiarum non continetur scriptis Amesii, nec Martyris, nec Sibbrandi &c. sed confessionibus & Catechismis, seu formulis concordiæ, quæ in corpore confessionum apparent: sed latius hac de re in examine præfationis. Testimonia doctorum quæ afferuntur a Cl. Viro membris quibusdam detruncata, hic plene describimus; ut ita lectores videant, an idem sentiant, quod nos capitis superioris doctrina exposuimus. *Amesius* Cap. 17. thes. 47. 48. 49. 50. lib. 2. Medul. Theol. ita inquit: *qui publica supereminent authoritate, sunt vel ministri, vel Magistratus. Inter Magistratus autem & ministros ecclesiæ hoc interest, quod* 1. *Magistratus, hujus potius quam alterius generis, institutio est ab homine: sed ministrorum est à Deo; quod in scripturis indicatur, cum Magistratus potestas, quamvis sit à Deo ordinata Rom.* 13. *vocatur tamen creatura humana* 1. *Pet.* 2. 13. *quæ quidem appellatio minime convenit legitimis ecclesiæ ministris.* 2. *Magistratus est ordinatio Dei Creatoris atque adeo ad omne genus hominum spectat: sed ministerium ecclesiasticum est do-*

num & ordinatio Christi mediatoris, atque adeo non proprie & ordinario jure spectat, nisi ad eos, qui sunt de ecclesia Christi. 3. *Magistratus jurisdictionem habet cum imperio, atque adeo, si summus sit, justa ratione potest leges condere & abolere, atque jurisdictionem aliis demandare. Sed ministri ecclesiastici, in se considerati, sunt mandatarij meri, qui proprii nihil habent, si quid legitime agunt id omne vice Christi mandantis agunt; atque adeo neque leges possunt ferre, neque aliis mandare potestatem illam, quam acceperunt.* 4. *Magistratuum est politicis mediis & potestate coerciva, procurare bonum commune, tam spirituale quam corporale omnium eorum, quos habent suæ jurisdictioni commissos* 1. *Tim.* 2. 2. *ministrorum autem est ecclesiasticis mediis eorum bonum spirituale procurare, qui ipsis committuntur Act.* 20. 28. *Heb.* 13. 17. *Rebus vero ipsis, personis, aut causis, circa quas occupantur, non possunt accurate distingui; nulla enim res, aut causa, tam est ecclesiastica, quin aliqua ratione pertineat ad jurisdictionem magistratus: neque ulla est actio tam secularis, modo ab ecclesiæ membro præstetur, quin quatenus observantiam erga Deum respicit, pertinere possit ad ecclesiasticam cognitionem: exemptio igitur ecclesiasticorum, ut vocantur, hominum, à jurisdictione civilis magistratus, sicut & observantiæ, magistratibus & parentibus debitæ solutio, sub religionis & perfectionis prætextu à pontificiis introducta,*

introducta, perfectæ Dei legi & religioni plane adversatur.

Petrus Martyr loco a Cl. Viro citato loc. Comm. Clas. 4. loc. 13. Sect. 9. 10. ita loquitur. Priusquam ad hanc plus quam Thrasonicam jactationem refutandam veniam, pauca præfari expedit, de duplici potestate ecclesiastica & civili. Cum præfertur potestas ecclesiastica omni civili functioni, non est nihil quod dicitur, modo recte & commode intelligatur. Omnis potestas ecclesiastica verbo Dei nititur, ita ut absque eo nulla sit; verbum autem Dei communis est regula, qua omnia & dirigi & temporari oportet. Docet enim qua ratione gladius externus, & respublica debeat administrari; in universum etiam demonstrat, quemadmodum omnia ab omnibus gerenda sunt. Sic Ambrosius, cum Theodosius Imperator nimis crudeliter & inconsiderate sæviisset in Thessalonicenses, persuasit ei, ut in omni pœna capitali sumenda, spatium triginta dierum interponeretur a lata sententia, ne Magistratus impetu & furore illa faceret, quorum si postea pæniteret, ea non possit amplius emendari. Ita multi Episcopi in rebus gravissimis sæpe authoritatem suam interposuerunt; & nonnunquam atrocia bella vel sustulerunt vel sedarunt, & inter ipsa arma ex verbo Dei conciones habuerunt.

Ecclesiastica itaque potestas ad hunc modum omnia complectitur, quia ex verbo Dei omnibus in rebus invenit quod consulat: nihil enim est in toto mundo ad quod verbum Dei se non extendat. Quocirca longe falluntur qui clamitare solent; quid concionatori cum republica? quid cum armis? quid cum pharmacopolis? quid cum cocis? at dicant ipsi, quando minister verbi animadvertit in iis rebus legem Dei violari, cur non reprehendat ex verbo Dei? cur non admoneat? cur non hortetur ut a peccato desistant? ejus profecto est corripere peccantes, non quidem gladio, non pecuniaria mulcta, non carcere, non exilio; sed suo modo, hoc est vi & potestate verbi Dei. Rursus politica potestas ad omnia extenditur, quæ ad potestatem politicam (habet mea editio Londinensis anni 1576. vel ut Vir Cl. emendat) ecclesiasticam pertinent. Sed quonam tandem modo? an requirit civilis potestas bonos animi motus, & intimam pœnitentiam: non potest ipsa hæc efficere: optabit tamen ut habeantur, & utetur iis mediis per quæ haberi possint. Curabit enim ut Episcopi, pastores, & doctores in ecclesia pure doceant, paterne reprehendant, ex verbo administrent sacramenta. Hæc quidem per se non facit Magistratus sed curare debet, ut sint ad manus, qui ea recte faciant. Proinde utraque potestas latissime

latissime patet, & omnia complectitur, sed non eodem modo. Et regula utrinque sumenda est a verbo Dei, quod constat esse in ecclesia. Rursus duæ sunt subjectiones: una politica & civilis, cui subjiciuntur omnes homines, qui si quid offenderint in leges, expectant a justis Magistratibus carcerem, mulctam pecuniariam, exilia, mortem, & externas pœnas: sin recte fecerint honores, præmia, dignitates, & laudes. Hoc autem pacto civilis potestas non subjicitur ministerio verbi quia non istis pœnis ab illo affici potest, & coerceri. Altera subjectio est spiritualis, hoc est, fidei & obedientiæ. Statim enim ubi audiunt homines de officio suo ex verbo Dei, & hoc vel illud faciendum esse, illud autem vel illud evitandum, credunt & obtemperant: quia quod dicitur, esse verbum Dei sentiunt. Atque hi sunt utriusque potestatis fines. Et ita accipiendum est illud Valentiniani Cæsaris ex historia tripartita, quod etiam habetur dist. 63. cap. Valentinianus, diligite inquit eum episcopum, cui nos, qui imperium gubernamus, postimus capita nostra syncere submittere, & monitis ejus uti tanquam medicinis &c. quibus ex verbis intelligitur, ecclesiasticæ potestatis esse monere ad salutem ex verbo Dei. Quemadmodum idem Imperator postea erravit: nam cum Ambrosium designasset prætorem civitatis

tis Mediolanenſis, populus eum elegit Epiſcopum. Quod ubi reſciſſet Imperator, ea de re gratias Deo egit ad hunc modum: ego eum præfeceram corporibus hominum, ſed tu illum animis præeſſe voluiſti &c. non recte Valentinianus diſtinxit officia. Quid enim? an animos tantum curare debent epiſcopi? nonne etiam corpora? quid ſi gulæ aut ebrietati ſe dedant, vel in externo cultu laſciviant, nonne iſta reprehendent? certe reprehendent. Nec princeps corpora tantum hominum curabit: & negliget animos. Non enim armentarium aut ſubulcum principem fingimus, cui tantummodo venter, caro, & cutis ſubditorum curæ ſint. Imo providebit ut ex virtute & pietate vivant. Verum, quid ſi principes Chriſtiani cum ex verbo Dei admonentur de publicis & graviſſimis peccatis, nolint audire nec emendare, quæ male commiſerunt? quid inquam, hic faciet Epiſcopus? Ambroſius excommunicavit Theodoſium Imperatorem, cum in Theſſalonicenſes tam gravem tyrannidem exercuiſſet. Innocentius item excommunicavit Arcadium, cum Iohannem Chryſoſtomum libere & vere monentem, in exilium ejeciſſet, ut habetur diſt. 96. cap. duo ſunt. & diſti. 18. cap. quoniam quidem. & ſunt verba ſextæ Synodi, ubi decernitur ut in ſingulos annos duæ habeantur Synodi quod ſi princi-

pes

pes impedire velint excommunicentur. Huc usque doctissimus Martyr, & multa alia sequuntur in eandem sententiam, quæ cum superioribus optime conveniunt.

Succedit *Sibrandus* qui contra Grotium pag. 120. a Cl. Viro citata ita inquit. Qui hæc ut par est expendet, videbit nos non adimere Magistratui judicium de rebus fidei. Qui possit enim curare ut verbum Dei rite & incorrupte prædicetur. nisi judicet quid Deus in suo verbo docuerit, illudq; discernat ab eo, quod Deus in verbo suo nec docuit nec mandavit. Nemo opinetur me dum hoc jus Magist. asserо, detrahere ecclesiæ ejusq; pastoribus, quod ad ecclesiam ejusq; pastores pertinet. Horum enim proprium munus est Mat. 28. 20. recte docere. tit. 1. 9. contradicentes redarguere. Act. 15. 6. De aliorum doctrina judicare. Facultas igitur & jus judicandi de doctrina illis eripi non potest. At inquies quomodo ista duo cohærent? aut quomodo hoc ipsum quod Magistratus est non tribuitur pastoribus? aut quod pastorum est non tribuitur Magistratibus? Respondeo regis esse curare ut omnia recte & legitime fiant, non tantum in politia, sed etiam in ecclesia. Verum dum politiam administrat, ipse non immediate omnia pro libitu suo facit; sed vel ipse, vel illi ad quos hoc jus pertinet, constituit viros idoneos, & juris peritos, per quos

jus

jus dicat. Hos jurejurando astringit, ut omnibus ac singulis jus æqualiter dicant, eosque quamdiu hoc faciunt, protegit & defendit; eosdem si hac in re scientes volentesque deliquerint, & vel propter munera, vel propter aliam aliquam causam jus cuiquam perverterint, publica authoritate coercet. Cum contra hanc omnium rerumpublicarum fundamentalem regulam faceret Philippus, & per Albanum omnia ad se traheret, universæ Belgicæ provinciæ pene eversæ fuerunt. Plane eodem modo dum princeps ecclesiam gubernat, non omnia immediate, prout libido fert, facere debet; sed efficit ut illi ad quos hoc jus pertinet, constituant viros idoneos, & Theologiæ peritos qui populum Dei verbum recte doceant, sacramenta rite administrant, & disciplinam ecclesiasticam juxta Dei verbum stringant: defenditque & tuetur eos, quamdiu suo munere recte funguntur: eosdem severe coercet, si vel verbum falsa doctrina adulterant, aut sacramenta Idololatricis ritibus contaminant, aut denique disciplinam in tyrannidem aut conscientiarum carnificinam commutant. Hoc modo prisci imperatores ecclesiam gubernarunt.

Illa quæ Iuellus habet in Antapol. part. 6. cap. 9. D.P. hoc loco expressit ut verba peculiari sect. inclusa ab eodem authore proponuntur.

succedit

Succedit igitur reverendus & doctissimus noster præceptor Andreas Rivetus, qui ita rem hanc exponit: *Potestasigiturin ecclesia, sive circa ecclesiam recte distinguenda est, ut quæ quibus conveniat facilius intelligatur. Trita est apud Pontificios distinctio, inter potestatem ordinis & jurisdictionis: quæ certe si bene intelligatur rejici non debet. Illam autem totam quamvis ecclesiasticis vindicent, falluntur tamen, si nullam quomodocunque intellectam, magistratibus relinquant. De potestate quam vocant ordinis, extra controversiam ponimus, illam non pertinere ad magistratum: cum enim illa constat iniis quæ ad Deum spectant; nempe ut olim sacerdotes offerebant Deo victimas pro peccatis; sic etiam nunc verbi pradicationem & sacramentorum administrationem; non dicimus magistratibus competere: neque etiam eam jurisdictionis potestatem, quam ad forum interius dicunt referri debere, quæ non est proprie coercitiva, sed magis spontanea, ut loquitur Gers. de pot. ecclesiast. consid. 5. quia sponte se quis subjicit, vel ad aliquod sacramentum accipiendum, vel ad alia participanda, quæ in ministro ab ordine ecclesiastico proficiscuntur. Quæstio igitur est de potestate jurisdictionis, quam vocant in foro exteriori: quæ etiam cum duplex sit, distingui debet; nempe in eam quæ exercetur per censuras ecclesiasticas; quales, sunt excommunicatio minor, id est, interdictio sacramentorum; & major, qua quis ejicitur ex ecclesiæ cœtu, donec resipiscat: quam etiam*

non

non tribuimus magistratui, cujus coercitiva potestas etiam ratione ecclesiasticorum est alterius generis. Quamvis autem Gerson dicat, potestatem hanc jurisdictionis ecclesiasticæ adeo vicinam esse jurisdictioni seculari & politicæ; quod laicis imo & mulieribus plerumque, & in multis casibus communicari possit executio & committi, nihil tale tamen Magistratui civili attribuimus. Quam igitur jurisdictionis potestatem in ecclesiasticis & spiritualibus rebus ei ascribamus, videndum est. Eam spiritualem & ecclesiasticam si quis dicat, idita intelligi debet, ut non formaliter, ut ita dicam, spiritualis & ecclesiastica dicatur: est enim pars potestatis politicæ & temporalis; sed objective ita appellatur; quia exercetur circa res ecclesiasticas & spirituales, tenditque ad eas asserendas & conservandas. Talis est potestas Synodos convocandi, & in iis externi ordinis causa præsidendi; constitutiones condendi, quæ ad viros ecclesiasticos in officio continendos faciunt; & ad coercendos, qui turbas in ecclesia movent, nec censuris ecclesiasticis cedunt: ministros ecclesiæ cum populo & Synedrio ecclesiastico constituere; stipendia honesta ipsis assignare, scholas erigere tanquam ecclesiæ seminaria; & similia. Interiora illa templi, ut recte tractentur à ministris ecclesiæ procurare debeant Magistratus, illis tamen eadem tractare non licet. Hæc testimonia latius explicata proponere visum est ut omnibus pateat, nos nullo modo à sententiis horum

horum doctorum recedere in explicanda hac quæstione in genere: sed in generali determinatione potestatis Magistratus circa sacra, eos idem nobiscum sentire.

Pagina 26. 27. D. Frater sententiam suam omnium oculis & animis exponens, ita inquit, *Summa Magistratus potestas habet se ad quasdam partes officii ministrorum objective tantum seu directive, non autem formaliter, non enim ipse administrat sacramenta &c. sed tantum curat, ut illa recte fiant. Ad alias autem habet se formaliter & objective, ut enim pastores habent jus vocandi alios pastores, monendi suos Symmystas officii, judicandi in Synodis, constitutiones ecclesiasticas in Synodis sanciendi, præsidendi in cœtibus ecclesiasticis, deponendi ministros: ita Magistratus una cum ministris omne illud jus habet, & præterea, pro imperio & potestate sua coactiva externa, quam habet, dirigit ordinem externum, curat, jubet ut ministri omnia illa recte faciant, seu actionibus illis recte defungantur.* Multa hic reprehensione digna occurrunt, quæ particulariori determinatione & examine opus habent. Nos hæc omnia ad quatuor capita revocamus. 1. Determinandum quænam sit objectiva Magistratus potestas circa sacra. 2. Ad partes revocanda est potestas Magistratus formaliter ecclesiastica, quam Vir Cl. Magistratui tribuit. 3. Dispiciendum, an actus ecclesiasticos

quæ extra eccleſiam, & regimen eccleſiaſticum perfecte, & complete conſiſtens, extrinſecus ex regno hujus mundi aſſumitur, ut opem, auxilium & directionem ſuam rebus eccleſiaſticis præbeat & conferat. *Eſt enim pars* (inquit Cl. *Rivetus* in teſtimonio jam allato) *poteſtatis politicæ & temporalis; ſed objective ita* (eccleſiaſtica) *appellatur, quia exercetur circa res eccleſiaſticas & ſpirituales, tenditque ad eas aſſerendas & conſervandas.* Superiori capite 2. Theſin hanc rationibus munitam dedimus, poteſtatem Magiſtratus circa eccleſiaſtica ſua natura forma & proprie eſſe mere civilem, politicam.: eo igitur lectorem remittimus.

II. Hinc conſtat quod hæc poteſtas non inſtituat aut producat illa quæ proprie ſunt eccleſiaſtica, nec actus formaliter eccleſiaſticos obire, nec munera eccleſiaſtica tribuere, nec perſonas eccleſiaſticas eligere, nec exercitia ſpiritualia ordinare, nec cæremonias eccleſiaſticas rituſque ſacros inſtituere poſſit. Hæc enim ſunt objecta hujus poteſtatis, quæ ſupponuntur & præexiſtunt, circa quæ verſatur; ut omne objectum natura præcedit actum qui circa illud occupatur, & abſurdum eſt quod actus poteſtatis eccleſiaſticæ, & ſpiritualis naturæ, exerceatur, & peragatur authoritate civili, cum impoſſibile ſit, ut elevetur ſupra naturam ſuam authoritas civilis, ut fiat ſpiritualis.

Digitized by Google

Deinde vocatio ad regimen politicum non infert authoritatem ecclesiastica & spiritualia dispensandi, seu administrandi; non enim prærequirit illa dona quæ ad dispensationem spiritualium exiguntur: nec infert illud munus neve functionem, ex cujus authoritate & potestate sacra ecclesiastica dispensantur.

III. Illa igitur quæ hæc potestas Magistratus objective producit, instituit aut dispensat, sunt instituta politica ad civilem & externum ordinem pertinentia, & politica ecclesiæ dici possunt; quia nempe ecclesiæ & rebus ecclesiasticis extrinsecus adjacent, & ex vita communi & politia civili rebus spiritualibus accedunt, & annexa adhærent. Politica potestas enim ad politica tantum producenda & peragenda est ordinata. Effectus et opus quod ex exercitio hujus potestatis fluit, non est aliquid spirituale, supernaturale, cœleste, sed politicum et civile, quod externum hominem, decorum et ordinem civilem concernit.

IV. Ecclesiastica vero, et spiritualia, seu supernaturalia tantum conservat, defendit, munit; procurat ut rite ex ordine celebrentur: omnia fomenta et auxilia, ex vita civili et communi, in eorum promotionem subministrat, perturbatoribus, qui illa de gradu dejicere opprimere, corrumpere conantur, resistit. Hoc omnia eorum exempla demonstrant, qui regia authori-

authoritate ſacra eccleſiaſtica gubernarunt. Et in hunc ſenſum accipimus illa, quæ Vir Cl. hoc loco de poteſtate Magiſtratus objective eccleſiaſtica determinat: *quod porestas Magistratus ſe ad quaſdam partes officii miniſtrorum habeat objective tantum ſeu directive, non autem formaliter: non enim ipſe adminiſtrat ſacramenta &c. ſed tantum curat ut illa recte fiant:* item *Magiſtratus pro imperio & poteſtate ſua coactiva externa, quam habet, dirigit ordinem externum, curat & jubet, ut miniſtri omnia illa recte faciant.* Vlterius hæc effata Doctiſſimi viri non extendimus: id ſi ſentiat in hac determinatione poteſtatis objective eccleſiaſticæ cum ipſo conſentimus. Hinc jam facillime patet, quouſque, & ad quas omnino res, hæc poteſtas Magiſtratus ſit extendenda, nempe ad omnes partes officii miniſtrorum, & omnes omnino res eccleſiaſticas, quas politice, modo jam delineato, procurare poteſt & tenetur jure divino.

Secundo inquirendum jam, *an Magiſtratui Chriſtiano vi ſui muneris poteſtas formaliter eccleſiaſtica competat*, ita ut in quibuſdam officii miniſtrorum partibus, omne illud jus habeat, quod ipſi miniſtri habent. Ita inquit D. Profeſſor *ad alias autem* (nempe partes officii miniſtrorum) *habet ſeſe*, nempe poteſtas Magiſtratus, *& formaliter & objective: ut enim paſtores habent jus vocandi alios paſtores, monendi*

Digitized by Google

ſuos ſymmyſtas &c. ita Magiſtratus una cum miniſtris omne illud jus habet. Hoc autem axioma nos regimini eccleſiaſtico, & eccleſiarum ædificationi maxime pernicioſum, per ſe abſurdum, à verbo Dei alienum, & orthodoxiæ Theologorum Reformatorum adverſum judicamus: & nullam poteſtatem formaliter eccleſiaſticam Magiſtratui civili tribuendam eſſe aſſerimus, quod & probamus argumentis ſubſequentibus.

I. Omnis poteſtas eccleſiaſtica eſt miniſterialis, dominium & imperium à regimine & poteſtate eccleſiaſtica removetur Math. 20. 26. Luc. 22. 26. Poteſtas vero Magiſtratus eſt imperialis, eſt dominium; proinde non eſt formaliter eccleſiaſtica.

II. Poteſtas formaliter eccleſiaſtica non poteſt demandari aliis, quam quibus injuncta eſt; hinc qui poteſtate eccleſiaſtica gaudet, per ſemet ipſum officium ſuum exequi tenetur, ut qui non habet poteſtatem vicarium aliquem ſuo loco delegandi. Atqui Magiſtratus poteſtatem & juriſdictionem ſuam aliis demandare poteſt.

III. Poteſtas formaliter eccleſiaſtica bonum ſpirituale ex vi ſuæ inſtitutionis per ſe & proprié, quatenus medium & organum, producit & operatur; mediis etiam ſpiritualibus ſeu eccleſiaſticis ad bonum illud ſupernaturale procuran-

curandum & producendum utitur Act. 20, 28. Heb. 13. 17. Ephes. 4. 11. 12. potestas vero Magistratus bonum corporale seu externi hominis per se et ratione suæ institutionis producit & efficit: spirituale vero bonum eorum, quos jurisdictioni suæ habet commissos, per se non producit, sed tantum procurat, per aliud ministerium ab ipsius dignitate diversum mediis etiam politicis, & potestate coerciva in executione & exercitio sui muneris utitur.

IIII. potestas formaliter ecclesiastica immediate dependet a Christo mediatore, ecclesiæ capite & sponso Ephes: 4. 11. 12. at potestas magistratus est ordinatio Dei creatoris.

V. potestas formaliter ecclesiastica fœminæ sive infanti competere aut injungi nunquam potestas 1 cor. 14. tit. 1, 1 tim. 3. tota vero magistratus potestas jure successionis sive electionis ad fœminas & infantes devolvi & devenire potest; illa igitur non potest esse formaliter ecclesiastica.

VI. Si potestas formaliter ecclesiastica magistratui competat, inter ordines sacros & ministros ad ecclesiæ ædificationem spiritualem vocatos esset numerandus magistratus: at Apostolus Ephe. 4. 11. 1 Cor. 12. 21 28. et alijs in locis, cum hominum ordines enumerat, quibus spiritualis ecclesiæ potestas est demandata, nusquam Magistratus mentionem ne per tran-

ſennam quidem injicit, cum omnes tamen miniſterij gradus, tam ordinarios quam extraordinarios, enumeret.

VII. Omnis poteſtas formaliter eccleſiaſtica data & injuncta eſt eccleſiæ Math. 18. 18. at Magiſtratus non eſt eccleſia, nec eccleſia Magiſtratus, poſſunt enim a ſe invicem ſeparati conſiſtere.

VIII. Omnem Magiſtratus poteſtatem reges filijs ſuis hæreditario jure ſæpe relinquunt; at poteſtas formaliter eccleſiaſtica nulli hæriditario jure competere poteſt; ſed ex ſpeciali vocatione eccleſiæ, cujus adjunctum neceſſarium eſt aptitudo ad poteſtatem illam capeſſendam & exequendam ex donorum idonea menſura et voluntate prompta. diverſa igitur eſt poteſtas Magiſtratus a poteſtate formaliter eccleſiaſtica. alia ad manum ſunt argumenta quæ theſin hanc D. Profeſſoris evertunt quæaddi poſſunt, ſed ſuperiora ſufficiunt, & invicte probant ſententiam hanc multa Theologorum principia evertere, quæ in regimine eccleſiaſtico aſſerendo contra pontificios, remonſtrantes, et anabaptiſtas adhibita ſunt a reformatis.

Succedit tertium examini ſubjiciendum, *An Magiſtratus actus eccleſiaſticos vi & ratione ſui muneris una cum miniſtris exercere poſſit, et omne illud jus habeat quod miniſtri habent ad actus illos eccleſiaſticos exercendos, puta vocandi, monendi & deponendi*

deponendi paſtores, judicandi in Synodis etc: nos contra aſſertionem Cl. Viri negativam ſententiam defendimus. Inducit enim hæc ſententia quaſi collateralitatem quandam, tantopere, & jure quidem, exploſam & exoſam, inter politicos & eccleſiaſticos, in rebus ſacris. Argumenta ſequentia contra erroneam hanc opinionem ſuggerimus.

I. Deus juriſdictionem eccleſiaſticam & politicam, ſeu duas illas poteſtates, natura ſua diverſas, perſonis, actibus propriis, officiis, & dignitatibus diſtinctis ita diſcrevit, ut ordinarie & regulariter in una perſona eas coaleſcere noluerit; ut militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret, & viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus. Id demonſtrant invicte diſputationes reformatorum contra pontificios de prætenſa pontificis & Epiſcoporum juriſdictione temporali; quæ evidentiſſime etiam probant vice verſa politicam poteſtatem ita ab eccleſiaſtica & ſpirituali eſſe ſeiunctam, ut rebus divinis ſeſe immiſcere non poſſit.

II. Actus juriſdictionis eccleſiaſticæ non poſſunt exerceri authoritate civili, cum impoſſibile ſit, ut in præcedentibus dictum eſt, ut elevetur ſupra naturam ſuam authoritas civilis, ut fiat ſpiritualis: quoniam igitur ſpiritualis poteſtas juriſdictioni civili unita non eſt, e-

Digitized by Google

tiam actus ſpirituales civili authoritate exerceri non poſſunt. Illi vero actus omnes eccleſiaſtici qui licet externi ſint & viſibiles, internum tamen effectum, qui pertingit ad animam, moliuntur, ſpirituales ſunt, et ad ſpiritualem eccleſiæ poteſtatem pertinent.

III. In actibus illis eccleſiaſticis architectonice nemo dominatur; ſed communibus et liberis ſuffragiis, ita ut potiora ſuffragia paucioribus legem figant, actus illi exercentur: ſi ergo Magiſtratus ſuffragetur cum ſuffragiis, quæ vincuntur, jam ſequitur ſupremam et architectonicam poteſtatem ſubjici judicio et poteſtati eccleſiaſticæ; quod tanquam grande nefas ad invidiam noſtræ ſententiæ imponunt reginis eccleſiaſtici adverſarii. Hinc igitur quoniam Magiſtratus in actibus ſui muneris architectonice operatur, judicat, et dominatur, una cum miniſtris actus eccleſiaſticos obire non poteſt. *Nunc autem duæ virgæ ſunt, altera regum gentium, alia diſcipulorum Chriſti; virga regum gentium virga dominationis; virga diſcipulorum Chriſti, virga directionis, virga paſtoralis officii ſupra curam animarum ſollicite vigilantis: illa virga quæ dominationis, non eſt conceſſa miniſtris euangelii pacis*; inquit *Rupertus Abbas Tutienſis* in Matth. 10. proinde nec in cauſis et exercitiis euangelii pacis exerceri poteſt.

VI. Inducit hæc Domini Profeſſoris ſententia

tia meram confuſionem poteſtatum et muneris politici cum eccleſiaſtico : quæ munera ſi confundas, animalia amphibia, mixtumque genus, proleſque biformes inducis. *Degeneratio ſtatus eccleſiaſtici in mundanum, & poteſtatum confuſio, magna pars eſt malitiæ temporum, & aliarum partium cauſa procreans & conſervans: hoc experientia ita clamat, ut ea de re pis quamplurimis jam olim extorſerit graviſſimas querelas; & conciliis quibuſdam ſanctiones varias, ruentem jam eccleſiam aliquo modo ſufflaminantes*; inquit Doctor *Ameſius* in *Bellarm.* Tom.2. cap.9. Not.15. item Not.16. *Oſtendere debet Bellarminus, ubinam à Chriſto inſtituti & probati ſunt principes mixti, non mere eccleſiaſtici, neque mere politici, ſed ex utraque poteſtate monſtroſe conflati.* & not. 17, *Aſſerit tales non eſſe ſimplices perſonas, ſed inſtar gigantum Gen. 6. 4. ex nefanda mixtura prognatos.*

V. Non eſt Magiſtratus politicus utriuſque poteſtatis capax aut par ferendo; uti eccleſiaſtica, ita et politica poteſtas totum requirit hominem; et ſic ſatis oneris conſcientiis incumbit, ſi velit ex præſcripto verbi Dei, ex iure et iuſtitia, munere ſuo defungi. *Poteſtas eccleſiaſtica & politica*, inquit *Bellarminus*, *non ſunt contrariæ, ſed utraque bona, utraque laudabilis, & una alteri ſervit; ergo non pugnant inter ſe, imo magis diverſa ſunt pax & bellum, quam*

bona

bona temporalia & ſpiritualia, & tamen unus & idem rex, ſimul præeſt ſenatui, & exercitui, togatis & armatis. quid ad hæc Cl. *Junius* in Controver. de Pontifi. lib. 5. Cap. 9. Not. 7. 8? *Datur proſyllogiſmus non pugnare inter ſe; nam res coordinatæ ſunt in ſocietate humana; ſed negatur conſequens, ergo ſimul in eodem homine eſſe poſſe utrumque principatum ſive adminiſtrationem ipſius. Non enim id ſolum videri opus eſt, ne inter ſe pugnent; verum etiam ut idem ſubiectum ſit utriuſque capax, atque ferendo par; ut Deo probetur vocatio, ut expediat publico. Neminem ordinarie à Deo vocatum ad ſacerdotium, & ad principatus temporalis adminiſtrationem ordinarie vocari concedimus 2. Tim. 2. Negamus publico expedire ſive adminiſtrationem ſpiritualem, ſive temporalem reſpexeris. Pacis & belli genus unum, & finis communis eſt, licet modus differens; adminiſtrationi vero temporali & ſpirituali non item.* Reſpondeat etiam *Tilenus* in eundem *Bellarmi.* locum Not. 10. 11. *Elenchus* παρὰ τὸ ἐπόμενον. *Non pugnant inter ſe, non ſunt contrariæ quotquot ſunt artes ac diſciplinæ aut legitimæ vocationes; num propterea unus idemque* homo *par omnibus, puta ſi ſimul ſit agricola, & nauta, & medicus, & epiſcopus, & miles, & rex & Agaſo, &c. exclamemus cum Apoſtolo: ad hæc quis idoneus?* 2. Cor. 2. 16. *Item ineptum conſequens, quaſi res terrenæ ſive temporales, & ſpirituales non magis inter*

ſe

se differant quam toga & arma. Interim sine id quidem fieri solet, aut apte commodeque fieri potest, ut unus idemque simul sit Senator, sive Tribunus aut miles, simul sit togatus & sagatus sive armatus, quanto minus aptum & appositum, ut unus idemque episcopus (sive senator) & materialem tractet gladium & spiritualem. Id est armis à militia sua toto genere diversis utatur. 2. Cor. 10. 4. Iudicet ex hisce æquus lector an quispiam Magistratus ex vi sui muneris legitime actus illos spirituales possit exercere.

Quarto in loco quædam in genere dicenda sunt de particularibus formalis ecclesiasticæ potestatis actibus, quos Magistratus vi sui muneris una cum ministris obire posse Vir Cl. asserit.

1. Perplacet quod Dominus Frater statuat, quod Magistratus potestas sese habere debeat formaliter ad partes illas officii ministrorum, nempe ad jus vocandi, monendi, & deponendi pastores, judicandi in Synodis &c. concipit igitur actus hosce exerceri à Magistratu potestate formaliter ecclesiastica: quod necessario statuendum; alia enim potestate quam formaliter ecclesiastica actus illos sustineri & exerceri non posse nobis est quam certissimum: sunt enim actus formaliter ecclesiastici & spirituales quos etiam ecclesia sola obire potest, & priscis Apostolorum temporibus sola executa est; cum tamen politicis actionibus sese minime immiscuerit

immiſcuerit: peraguntur etiam hi actus nomine Chriſti & nomine eccleſiæ; ex vocatione eccleſiæ: non ex dominio, ſed poteſtate miniſteriali, & ſpirituali: ſacerdotalem, ſpiritualem, & eccleſiaſticam functionem conferunt & exequuntur. formaliter igitur eccleſiaſtica eſt iſta poteſtas quæ hos actus producit.

2. Noto, apud ullos reformatos doctores, quos D. Vedelius hactenus citavit me nondum vidiſſe, quod aſſerant Magiſtratum poteſtate formaliter eccleſiaſtica hos actus obire aut exequi poſſe: removent enim plerique à Magiſtratu omnem poteſtatem internam formaliter eccleſiaſticam: diſerte hoc teſtantur D. *Rivetus*, *Paræus*, *Ameſius*, *VValæus*, *Lancelotus Andrevvs epiſcopus Elienſis*, author Torturæ Torti, *Robertus Burhillus* Anglus &c.

3. Per errorem in regimine eccleſiaſtico craſſiſſimum hoſce actus Magiſtratui ex jure divino attribui patet omnibus, qui ex ſacro codice & divinæ legis tabulis rem hanc determinandam & dijudicandam tradunt: nam nullibi, nec in exemplis, nec in præceptis V. aut N. T. tale jus Magiſtratui a Deo attribuitur. Cum Chriſtus miniſteria & munera in eccleſia inſtituit, ad actus illos peragendos, de Magiſtratuum ordine & munere, nihil ſingulare præſcripſit, nihil novi juris ipſis communicavit: curæ & conſcientiæ eccleſiæ & miniſtrorum ejus omnes illi actus

ſemper

ſemper a Spir. San. in ſcriptura committuntur, peragendi. Nemo actus & functiones illas ſuſcipere poteſt abſque vocatione ſingulari & ſeparatione Dei peculiari Actor. 13.2.& 20.28. Heb. 5.4. Ier. 14.14. qua Magiſtratus caret. Omnes illi actus peraguntur in nomine Chriſti Matth. 18.20. 1. Cor.5. 4. Magiſtratus vero nuſquam ſervus Ieſu Chriſti, nec ejus legatus, qui ejus nomine legatione & miniſterio fungitur, ſed Dei diaconus & vicarius in terris dicitur & eſt. Peraguntur modo eccleſiaſtico & ſpirituali, toto genere diverſo, ab agendi modo imperiali architectonico et coactivo, quo Magiſtratus actus ſibi commiſſos peragit. Alia argumenta hic omitto, quæ ex ſuperioribus diſſertationibus peti poſſunt.

Pag. 27. 28. 29. D. Profeſſ. poteſtatem Magiſtratus obiective et formaliter eccleſiaſticam illuſtrat per analogiam et ſimilitudinem officii Doct. ſeu Profeſ. Theologiæ, quorum Doctor. officium et munus deſcribit, a paſtorum munere diſtinguit, deinde ad Magiſtratus munus circa eccleſiaſtica, cum differentiæ et diſcriminis ſui explicatione applicat. In Doct. et Profeſ. Theo. munus inquirere, aut in diſcrimina et differentias ejus ab eccleſiarum paſtorum munere, ad rem præſentem non pertinet, omnia quæ Vir Cl. hac de re ſupponit, lubentes iam admittimus. Applicationem eius ad Magiſtratus munus

munus illuſtrandum diſparium comparatione laborare contendimus. Doctoris munus à Chriſto eccleſiæ capite, & Magiſtro in eccleſia N. T. inſtitutum agnoſcit Dominus Frater ex epheſ. 4. 11. ubi inter munera eccleſiaſtica à Chriſto inſtituta recenſetur; nuſquam hoc de Magiſtratu. Doctoratus inter functiones corporis Chriſti ad ejus ædificationem neceſſarias recenſetur Rom. 12. 7. Epheſ. 4. 11. 12. nuſquam hoc de Magiſtratu. Doctores in eccleſia ad opus miniſterii ſancti à Chriſto dati & conſtituti Epheſ. 4. 12. nuſquam hoc de Magiſtratu. Doctores Chriſto mediatori ad dextram Dei exaltato, operi & muneri ipſius mediatorio ſubſerviunt Epheſ. 4. 11. 12. nuſquam hoc de Magiſtratu. Doctores ratione ſui muneris & functionis ſpirituale bonum intimos & pios animi motus, & dona producunt, Epheſ. 4. 11. 12. nuſquam hoc de Magiſtratu. Doctores prophetiæ dono gaudent, & ex eo defunguntur ſuo officio Rom. 12. 7. 1. Cor. 12. & 14. Capp. nuſquam hoc de Magiſtratu. Hæc omnia ad rem præſentem, poteſtatem nempe & functionem eccleſiaſticam pertinent, eamque attingunt. Inconſequens igitur eſt argumentatio & illuſtratio quæ a re tam diſpari petitur.

Pag. 29. 30. Dom. Doctor diſtincte explicare volens, quid demum Magiſtratus in partibus

tibus officii miniſtrorum ratione ſui muneris & poteſtatis poſſit; ita pergit, *vulgo diſtinguunt officium paſtorum in poteſtatem ordinis & juriſdictionis; illam conſtat non habere Magiſtratum: nec etiam hanc, quatenus conſiſtit in cenſuris eccleſiaſticis, hoc eſt, retinendo & remittendo peccata; ſeu quatenus conſiſtit in exteriore regimine, ſeu directione ordinis externi, et officii miniſtrorum.* Tria hic ſunt conſideranda. 1. Quid per poteſtatem ordinis et juriſdictionis ſit intelligendum. 2. Quas ejus partes Vir Cl. a Magiſtratus munere amoveat. 3. Quam partem Magiſtratui tribuat. Quod ad primum, *Bellarminus* ex Scholaſticorum et aliorum pontificiorum ſententia dicit, *triplicem poteſtatem eccleſiaſticam eſſe in pontifice aliiſque epiſcopis, prima eſt ordinis, altera iuriſdictionis interioris, tertia iuriſdictionis exterioris. Prima refertur ad ſacramenta conficienda & adminiſtranda. Secunda ad populum Chriſtianum regendum in foro interiori conſcientiæ: tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori.* Ad hæc Doctor *Ameſius* hæc annotat. *Abſurde diſtinguitur poteſtas ordinis à reliquis: ordo enim*, ait Alex. Ales part. 4. quæſt. 21. Not. 4. *Non eſt poteſtas, ſed habet ſibi annexam poteſtatem ligandi & ſolvendi in foro pœnitentiæ, & in foro cauſæ. Poteſtas enim ſine ulla ratione juſta diſtribuitur in iuriſdictionem interiorem & exteriorem: una enim & eadem eſt poteſtas*

testas, ait idem ibidem, ligandi et solvendi in foro pœnitentiali, & in foro judiciali, licet actus sunt diversi. Male igitur definitur potestas ordinis per relationem ad sacramenta, quia episcopi à Deo ordinati, ordinantur præcipue ad pascendum populum verbo scientiæ & sapientiæ. Et secundum Pontificios qui sacerdos ordinatur, non potest omnia sacramenta administrare, ordinum, puta, & confirmationis. Præterea dum sacramentum pœnitentiæ administrat, exercet jurisdictionem: ita ut non possit hac ratione distingui potestas ordinis & jurisdictionis interna. Regere interne & regere externe non constituunt duas jurisdictiones, quia internum et externum non variant naturam vel essentiam rei, sed modum tantum. Duas priores potestates *Bellarminus* concedit, quod pertineant ad claves regni cœlorum, quæ immediate a Christo Episcopis sunt datæ. quid ad hæc *VVittakerus? hic secum pugnat apertissime adversarius*, inquit, *nam antea lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. ubi de clavibus sermonem instituit, omnem jurisdictionem ecclesiasticam clavibus designare ait; quod verissimum est, Episcopis enim Christus claves, id est, potestatem quandam in ecclesiam dedit, et nulla potestas à Christo est ecclesiæ data, quæ non est clavium. Amesius* hæc addit, *scholastici ipsi non minus externam, quam internam jurisdictionem ecclesiasticam referunt ad clavium potestatem. neque ullam jurisdictionem promisit Christus ecclesiæ,*

aut

aut ipſi Petro, quæ in clavibus non continetur. Et ridiculum eſt fingere Chriſtum dediſſe paſtoribus poteſtatem aperiendi et claudendi clanculum in aure confitentis, ſed non publice coram eccleſia tota. Epiſcopus Spalatenſis ad poteſtatem ordinis reducit actus, qui externi ſint & viſibiles, internum tamen effectum, & qui pertingit ad animum, moliuntur. Poteſtatem juriſdictionis ponit in illis actibus eccleſiaſticis externis, in quibus eccleſia externum etiam principaliter & directe intendit effectum. *Ego inquit ut commodius in materia eccleſiaſticæ poteſtatis procedam, ad ordinis poteſtatem reduco, actus omnes eccleſiaſticos, externos quidem, ſed ita ut internum duntaxat illic per ſe & directe & principaliter ab eccleſia intentum, moliantur effectum. Juriſdictionis vero poteſtatem in illis actibus eccleſiaſticis externis agnoſco & pono, in quibus eccleſia externum, etiam principaliter & directe, intendit effectum: & de his dico primo utramque poteſtatem ſive ordinis ſive juriſdictionis directe & immediate pendere ac fluere ab ipſo ordine, ſicut lux à ſole, calor ab igne &c. & dato ordine, dari ſimul, cum ordine ſacro, omnem ſacram & eccleſiaſticam poteſtatem, quæ ſit eccleſiæ propria; ſive illam voces ordinis, ſive juriſdictionis: inepteque ſeparari poteſtatem juriſdictionis, quamcunque velis intelligere, modo ſit proprie eccleſiaſtica, hoc eſt ſpiritualis, ſive ad ſpiritualia per ſe & eſ-*

ſentialiter directa. Hæc dixerim quia poteſtas vera & propria eſſentialis eccleſiaſtica eſt ipſa tota ſpiritualis, & ſpiritualem ſolum ac internum effectum operatur: quam ego proprie voco poteſtatem ordinis ſeu miniſterialem. Huic vero acceſſoria eſt poteſtas circa externa eccleſiæ, & circa ritus divini cultus, circa errantium & correptiones & excluſiones; circa temporalium rectam adminiſtrationem: circa miniſtrorum electiones & deputationes, ac ſimilia, quæ per ſe & directe pacem eccleſiæ, decorum, purgationem, debitum in ea ordinem reſpiciunt; omnia tamen ſpiritualem habent effectum, ut Deus rite colatur, fideles in pace Deo ſerviant, nec à quoquam turbentur, ut habeant pabula ſpiritualia, & eccleſia ipſa ſit vera caſtrorum acies ordinata Cant. 6.3. Eſſe vero totam eccleſiaſticam quamcunque poteſtatem plene & perfecte cum ordine conjunctam, patet ex eo, quod Apoſtoli quando apoſtolicam acceperunt à Chriſto poteſtatem, tunc totam & plenam præſertim ordinariam, quæ eſt epiſcopalis, acceperunt poteſtatem, tam ordinis, quam juriſdictionis. Recedit hic *Spalatenſis* a recepta explicatione Scholaſticorum in diſtinguenda poteſtate ordinis & juriſdictionis. Sed an non cui poteſtas eſſentialis vere & proprie eccleſiaſtica convenit, convenit etiam acceſſoria, acceſſorium enim ſequitur ſuum principale. Nonne abſurdum eſt exiſtimare, præsbyteros idoneos eſſe ad actus ſpirituales & ſacros,

Digitized by Google

ſacros, ad actus autem regiminis mere externi omnino ineptos eſſe. Claves omnibus æque Apoſtolis ſunt datæ, & non ſoli Petro; & ab Apoſtolis omnibus ad omnes Epiſcopos & presbyteros ex æquo tranſierunt; ut hactenus contra Pontificios demonſtrarunt orthodoxi.

Georgius Downamus Anglus epiſcopatus propugnator acerrimus *ad poteſtatem ordinis* refert, *poteſtatem prædicandi, ſacramenta administrandi, peccata remittendi & retinendi, ordinandi miniſtros: ex his presbyteros (ut loquitur) habere poteſtatem prædicandi, ſacramenta administrandi, peccata remittendi & retinendi in foro conſcientiæ: actum vero ordinationis epiſcopis maxime proprium & peculiarem eſſe contendit*; Defenſ. pro epiſcopatu lib. 3. cap. 4. §. 24. 25. At Cl. *Iunius* in *Bellarminum* de Clericis cap. 3. Not. 22. inquit, *actum ordinationis communem habet epiſcopus cum toto presbyterio* 1. *Tim.* 4. *ſed ritus ordinandi per impoſitionem manuum ad epiſcopum ſolum pertinebat, id eſt, ad eum qui præerat presbyterio, ſive perpetua inſtitutione præeſſet, ut poſt factum eſt epiſcopis, ſive temporaria, annua, menſtrua, hebdomadaria &c.* poteſtatem juriſdictionis dividit idem *Downamus, in externam & internam: internam dicit eſſe poteſtatem gubernandi modo privato, & quaſi in foro conſcientiæ: poteſtas juriſdictionis externæ est non modo in ligandis & ſolvendis peccatis, ſed etiam in*

ministris vocandis, controversiis doctrinæ excutiendis & dijudicandis, tum legibus de externa politia ferendis. Obtulum ei sit sinciput necesse est, qui in hisce Pontificiorum fermentum non sentiat. Potestatem mittendi, vocandi & ordinandi pastores, judicandi de fidei dogmatis, ritus constituendi, excommunicationis & depositionis ministrorum ecclesiasticis competere postea demonstrabimus.

Reformati plerique potestatem ordinis omnia officia pastorum comprehendere docent, quæ ad ecclesiam Christi pascendam & gubernandam sunt necessaria & instituta, præter potestatem a Deo concessam ad conservationem & defensionem disciplinæ, quam jurisdictionis vocant: quæ jurisdictio vel communis est, cui omnia ecclesiæ membra subesse debent: vel propria cui soli ecclesiæ ministri subjiciuntur; illa excommunicatio vocatur; ista καθαίρεσις seu abdicatio a munere ecclesiastico. Vel ut alij distingunt potestatem ecclesiasticam in propriam & communem: propria est, quæ pastorum officia ab ipsis solis præstanda concernit: communis cujus et authoritas universo ecclesiæ cœtui a Deo est demandata, et cujus exercitium iis omnibus qui ecclesiæ præsunt, est ab ecclesia creditum; et versatur in vocatione pastorum, ecclesiæ eutaxia constituenda, et in jurisdictione

dictione seu potestate clavium.

Concludimus igitur omnem potestatem ecclesiasticam ab ordine quo munus ecclesiasticum confertur, dependere, ex eoque defluere; cui etiam necessario in omnibus suis partibus est annexa, quia ordo et potestas ecclesiastica ex natura rei, et jure divino, pari passu vel gradu incedunt; ita ut ordo definiatur per jus et potestatem spiritualem. Et certe cum omnis potestas ordinis sit potestas clavium; et claves omnem ecclesiæ potestatem, et jurisdictionem contineant, fieri non potest, quin ordini tota ecclesiastica potestas sit annexa jure divino. Recte *Spalatensis* Libro 5. Capite 3. Num. 15. de rep. eccles. *esse vero totam ecclesiasticam quamcunque potestatem plene & perfecte cum ordine conjunctam, patet ex eo, quod Apostoli, quando Apostolicam acceperunt à Christo potestatem, tunc totam & plenam, præsertim ordinariam, quæ est episcopalis, acceperunt potestatem, tam ordinis quam jurisdictionis.* Et *Amesius* in *Bellarm.* Tom. 2. cap, 8. not. 2. *si certum sit à Christo immediate haberi primam potestatem* ordinis, *idem etiam certum est de secunda*, jurisdictionis internæ, *nam secunda continetur in prima, secundum explicationem Bellarmini, & tertia est eadem cum secunda, sicut antea fuit declaratum.*

Accedo ad illud quod in secundo loco consi-

ſiderandum, quas nempe hujus poteſtatis partes Cl. Vir à Magiſtratus munere amoveat & eripiat; *illam*, inquit *nempe poteſtatem ordinis, conſtat Magiſtratum non habere, nec etiam, illam* nempe juriſdictionis, *quatenus conſiſtit in cenſuris eccleſiaſticis, hoc eſt retinendo & remittendo peccata.*

Rectè hæc D. Profeſſor ex jure divino & Orthodoxorum ſententia concedit, & fundamenta ſunt noſtræ diſſertationis, non tantum in hac parte generali, ſed et in ſubſequenti ſpeciali; qua oſtendimus, immerito et contra jus divinum multas in eccleſiaſticis partes Magiſtratui tribui, quæ cum hiſce hypotheſibus non congruunt. Si enim poteſtas ordinis Magiſtratui non competat, nec etiam poteſtas juriſdictionis eccleſiaſticæ, quæ in poteſtate ordinis continetur, vel ex ordine fluit, ut calor ab igne; quæ etiam ejuſdem ſpeciei et naturæ eſt; ex una eademque vocatione, functione et jure muneris eccleſiaſtici fluit; et modo eccleſiaſtico non civili adminiſtratur; ſub clavibus regni cœlorum continetur, quæ eccleſiæ a Chriſto datæ ſunt non Magiſtratui. Si conſtet Magiſtratum non habere poteſtatem ordinis, quicquid igitur ſub ordine continetur, a Magiſtratu removendum. Ordo prout accipitur pro gradu eccleſiaſtici muneris eſt ſpiritualis poteſtas vel deputatio ad eccleſiam Chriſti paſcendam

Digitized by Google

dam et gubernandam Matth. 9. 36. & 10. 6. & 28. 19. Act. 20. 28. 1. Pet. 5. 1. Quicquid igitur ex jure sui muneris agunt pastores ad ecclesiam Christi pascendam & gubernandam, removendum est a Magistratus munere. Quomodo igitur Magistratui competere potest jus vocandi pastores, judicandi in Synodis de rebus religionis, & fidei articulis, constitutiones ecclesiasticas sanciendi? qui actus certe ecclesiastici ad ecclesiam pascendam & gubernandam exercentur. Si Magistratui non competat potestas jurisdictionis quatenus consistit in censuris ecclesiasticis, quomodo igitur ipsi competit jus deponendi ministros, & illa quæ in cognitione disciplinæ ecclesiasticæ Magistratui tribuit Vir Cl. quæst. 6? sed de his postea. Hujus effati interim D. Frater memor sit cum ad sequentia pervenerimus.

Tertio loco videndum, quid demum sit quod D. Professor Magistratui tribuat; *potestatem jurisdictionis ad Magistratum pertinere ait, quatenus consistit in exteriori regimine, seu directione ordinis externi, & officii ministrorum. Tilenus* de hac potestatis parte ita ex sententia ecclesiæ reformatæ differit, part. 2. Syntag. Theol. disp. 27. de potestate ecclesiæ in constituenda eutaxia, thesi 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 15. *Tertia pars communis gubernationis ecclesiasticæ versatur in constituenda politia externa, seu*

Digitized by Google

eutaxia, ut omnia ordine & decenter fiant in domo Dei 1. *Cor.* 14. 40. *Objectum hujus gubernationis sunt determinationes circumstantiarum, sine quibus prioris tabulæ præcepta, ac publica pietatis exercitia, in cœtibus ecclesiasticis, vix ac ne vix quidem servari possunt. Huc pertinet tempus, locus, forma, & norma precum, concionum, administrationis sacramentorum, jejuniorum, eleemosynarum &c. quæ omnia non tumultuarie, sed rite & εὐσχημόνως ad ecclesiæ ædificationem institui & exerceri par est. Hæc cum per se sunt adiaphora, nec salutis nostræ mysterium directe attingunt; conscientias proprie non obstringunt, neque tam fixa & immota sunt, quin ubi usus ecclesiæ postulaverit, refigantur ac mutentur. Cæterum actiones divini cultus duum sunt generum: aliæ sunt ejusmodi ut non differant ab ipso cultu: nempe ipsa pietas & sanctitas animi, in quibus cultus spectatur* οὐσιοδῶς: *aliæ sunt ad cultum ordinatæ tanquam adminicula, vel instrumenta ad cultum illum commodius obeundum & foris declarandum. Prius actionum genus à solo Deo institui & præcipi potest, sicut idem habitum pietatis & sanctimoniæ solus infundit. quæcunque vero hujus generis actiones à Deo non sunt præceptæ, hoc ipso sunt vetitæ: neque hic ullum jus ecclesiæ adjiciendi, detrahendi aut mutandi. Posterius genus rursus est duplex: aliæ sunt necessariæ, ac propterea etiam à Deo institutæ, saltem quoad τὸ ὅτι nempe*

ut

ut cœtus habeantur, ſacramenta adminiſtrentur &c. Aliæ contingentes, quoad τὸ πῶϛ; cujus ratio pendet ab honeſtate & commoditate unius cujuſque eccleſiæ particularis, nempe ut hoc velillo tempore conventus habeantur, ſacramenta adminiſtrentur &c. poſterioris hujus generis actiones neceſſariæ, cum à Deo ſint, nullum eccleſiæ in eas arbitrium aut poteſtas. Contingentes autem ſive medias, hactenus eccleſiæ arbitrio permiſit Deus, ut divinæ veritatis, Chriſtianæ ſimplicitatis, & publicæ ædificationis ratio habeatur. Triplici hac face prælucente, non ſolum eccleſia jus habet abrogandi, quæ olim in hoc genere fuerunt inſtituta, aliaque inſtituendi, quibus quaſi mutata velificatione, communis ædificationis curſus commodius teneri poſſit: ſed etiam privatorum conſcientiis liberum eſt, quandoque iſta omittere, modo offendicula vitentur, nihilque ex contemptu eccleſiæ, aut miniſterii publici petulanti καινοτομία vel κενοδοξία facere videantur. Et poſtea *ut principis & præconis idem dicitur mandatum, ſed ratione diverſiſſima; ſic & Dei mandatum, cum ab eccleſia proficiſcitur, tametſi re unum idemque, ratione tamen plurimum differt, cum ab illo ſolo ſit ejus authoritas, ab iſta nihil niſi declaratio vel promulgatio. Alia eſt ratio* τῶν διατάξεων, *quæ authoritatem habent ab eccleſia; ſed iis quos theſis* 8. *oſtendit finibus circumſcriptam.* Suffragatur & reverendus noſter præceptor D.D. *Rivet.* in Cathol-

in Catholico Orthodoxo Tract. 2. quæstio. 9. num. 3. Hæc omnia quæ ad eorum tyrannidem, qui cum Dei injuria animas hominum sibi subjiciunt, reprimendam diximus; non obstant, quo minus agnoscamus fideles pastores habere potestatem, non quidem instituendi leges proprie dictas: sed ordinandi certas constitutiones, & circumstantiarum primam tabulam respicientium utiles determinationes. Loquor de circumstantiis, quia quoad substantiam & fundamentum, totus cultus Dei in ipsius verbo clare est propositus, ut ecclesia nihil ei addere vel detrahere possit. Tamen aliquid de exteriore ordine & decore in verbi & sacramentorum administratione in sanctorum congregatione, statuere potest; ita tamen ut generalem Apostoli regulam sequatur, omnia decenter & ordine faciendo 1. Cor. 14. 40. quæ constitutiones non vi cogunt, sed dirigunt, non coacte sed libenter 1. Pet. 5. 2. Hinc distinguuntur a legibus proprie dictis, nec obligant conscientiam nisi ratione scandali aut contemptus politiæ ecclesiasticæ, qui legi Dei foret contrarius. " Regimen ecclesiæ exterius, & directio ordinis externi, & officii ministrorum," sunt phrases quæ late patent, & omnia quæ sub lato harum phrasium sensu veniunt non existimo Cl. Virum Magistratui tribuere

ere velle: ſed tantum externam directionem rerum ſacrarum per leges ordinis & decori ſeu eutaxias ſub exteriore regimine comprehendere. Nos cum Theologis orthodoxis jam citatis,& aliis, judicamus eccleſiæ a Deo demandatam rerum & cæremoniarum ſacrarum procurationem,& adminiſtrationem externam;et ejus officium eſſe curare , ut omnia illa a Deo inſtituta, ordine et decenter fiant. Patet hoc quia finis ordinis et decori in rerum ſacrarum et ceremoniarum adminiſtratione eſt ædificatio eccleſiæ, et ſingulorum in eccleſia, in fide & pietate *omnia fiant ad aedificationem* inquit Apoſtolus 1. Cor. 14. 26. Res & ritus Dei proprie ædificant animam : actus ordinis & decori dirigunt res & ritus divinos ad finem ſuum; confuſio contra impedit ne aſſequantur ſuum finem. Accedit quod Cl. *Iunius* annotat Controverſia 5. lib. 2. cap. 16. Not. 18. in *Bellarmin.* Actiones cultus , aliæ ſunt ipſius „ cultus, aliæ ad cultum ordinatæ. Actiones „ cultus quæcunque non ſunt à Deo præceptæ, „ ſunt vetitæ; nam de illis nihil detrahi, ad- „ di, mutari poteſt. Quæ vero ad cultum ordi- „ natæ duorum generum ſunt; neceſſariæ „ & contingentes ex commoditate, honeſtate „ & decore eccleſiæ. Neceſſariæ autem à Deo „ ſunt, ideoq; nec in hominum poteſtate ſunt: „ contingentes ſunt mediæ quas eccleſiæ diſ- „

poſitio

positioni permisit Deus integra veritate Dei, „ simplicitate Christi,& charitate vera ad ædi- „ ficationem ecclesiæ„. Cum igitur hæc ecclesiastico-politica (nam ita vocantur apud authores gravissimos, qui de ecclesiæ regimine scripsere) ad cultum ordinantur, & in cultu usurpantur, ad ecclesiæ non Magistratus politici arbitrium constituenda sunt & determinanda. Plura in hunc finem addi possunt, sed quoniam in particularium quæstionum examine hæc rursus occurrunt, ad ea loca lectorem remittimus.

Finis Primæ Sectionis.

SECTIO SECVNDA

DE

Jure Majeſtatis CIRCA SACRA IN SPECIE.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

CAP. I.

De vocatione paſtorum, & de jure Magiſtratus & eccleſiæ in ea.

VOcatio miniſtrorum eſt actio eccleſiæ, qua cum authoritate miniſtrandi munus eccleſiaſticum ſeu miniſterium alicui demandatur. Ejus partes vulgo tres ſtatuuntur, electio, vitæ & doctrinæ exploratio, confirmatio ſeu ordinatio. Definitio electionis ab *Azorio* allata parte 2. lib. 6. cap. 14. inſtitutio. moralium, ut concinna laudatur, "Eelectio„ inquit, eſt alicujus hominis ad eccleſiam pa-„ ſtore deſtitutam canonice facta vocatio„ Eſt modus igitur eſſentialis vocationis. Quoniam aptitudo ad miniſterium, neceſſariumeſt ad electionem requiſitum, quæ aptitudo oritur ex donorum idonea menſura, & voluntate prompta munus illud capeſſendi & exequendi; hinc ad vocationem rite peragendam neceſſaria eſt ejus exploratio, qui ad miniſterium vocatur, quod omnibus ex 1. Tim. 3. Tit. 1. aliiſq; locis liquet: examinatio igitur ad electionem tendit, ordinatio vero pendet ab electione, ejuſq; eſt complementum: ſicut coronatio principis,

Digitized by Google

principis aut Magiſtratus inauguratio, ab electione, ſucceſſione, aut æquivalente aliqua conſtitutione. Quamvis ritus ordinationis, ſicut & inaugurationis & coronationis, aliis aliquando honoris cauſa tribuatur, quam quibus electio competit; jus tamen ejus pendet ab electione, & ſpectat ſemper ſuo jure ad eligentes; eſt enim nihil aliud quam electionis teſtificatio et complementum. "Et ex electione electus requirit, jus ad rem *Azorius*,, par. 2. lib. 6. cap. 14. Ex eadem igitur exſurgit integra cauſæ ratio propter quam introduci debet in poſſeſſionem rei, quam appellant nonnulli jus in re; quæ tamen revera nullam facit variationem juris, ſed tantum uſus et effecti juris.

Vocatio igitur maxime proprie et præcipue conſiſtit in electione: nam voluntaria illa relatio, quæ inter miniſtrum et eccleſiam intercedit, non poteſt aliud fundamentum habere, quam voluntariam electionem: eccleſia libera libertate ſalva, non poteſt alicui ſubjici niſi per liberam electionem. Electio igitur tribuit miniſterium; quod Cl. *Gisbertus Voetius* ſolide defendit in deſperata cauſa papatus contra *Ianſenium* lib. 2. ſect. 2. cap. 20. Summa tota derivatio eccleſiaſtici iuris in,, hanc aut illam perſonam, tam in Scripturis,, quam communiſermone, vocatio nominatur,,

ut

os. Mandat Paulus Tito *ut constituat oppidatim presbyteros*, non ut ordinet vagabundos. Præterea omnis episcopus habet curam animarum; Heb. 13. 17. Proinde nulli sunt pastores ordinati ad ministerium verbi & sacramentorum absque cura animarum. Non solet paterfamilias œconomos constituere, nisi cum eorum opera opus sit in familia; sic fit in ecclesia. Non vocat Dominus nisi ad locum vacuum, ut sint actu, non potentia tantum pastores.

Vocatio Pastorum est actio spiritualis, sacra, et formaliter ecclesiastica. A Christo enim ecclesiæ sponso, principaliter, primario; & ab ecclesia Christi sponsa, secundario, & subordinate peragitur: Est actio serviens Christi mediatorio regno, ad regimen & administrationem regni Christi pertinet. Sacro & ecclesiastico modo est peragenda, per ecclesiæ suffragia, jejuniis, precibus ecclesiæ, in nomine Christi, ex ordine à Christo ecclesiæ rege præcepto. Tota derivatio ecclesiastici juris in ministrum vocandum per eam peragitur; & potestas spiritualis & sacra confertur. spiritualis & ecclesiastica igitur est hæc ecclesiæ actio.

Est actus regiminis ecclesiæ, qui pertinet ad gubernationem & regimen constituendum, & in quo directio & gubernatio ecclesiastica ex-

ercetur. Regimen ecclesiæ (uti recte reformati) est mixtæ naturæ, partim quasi Aristocraticum, partim quasi Democraticum: idque maxime apparere in vocatione pastorum, & exercitio disciplinæ ecclesiasticæ. *Regimen ecclesiarum particularium ex Apostolorum instituto fuit non mere Aristocraticum, sed Democratia temperatum pro jure plebis in electionibus & excommunicationibus*, inquit, *David Calderwood* in altari Damasceno pag. 299. Asserit *Spalatensis* in electionibus ministrorum, etiam Apostolorum tempore, & ipsorum instituto, plebem & totam multitudinem magnam habuisse partem. *Qui est primus*, inquit, *& fortassis præcipuus Democratiæ effectus ut ipsa multitudo eligat sibi Magistratus & gubernatores*; de repub. ecclesiast. lib. 1. cap. 22. num. 10. Actus igitur qui in electione à pastoribus & populo exercentur, ad ecclesiam gubernandam exercetur, Quæ gubernatio ecclesiæ non politica sed ecclesiastica est. Exercetur enim hic actus ex potestate delegata Christi mediatoris ecclesiam regia authoritate gubernantis. Hinc multi Theologi actum hunc ad potestatem jurisdictionis ecclesiasticæ referunt: *nam ordinatio pastoris, & missio potestativa*, ut loquitur, *Spalatensis* de repub. ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 54. *vel inductio in possessionem muneris, ad quod antea per electionem designatus erat ordinandus:*

referendæ

referenda est potius ea ratione ad potestatem jurisdictionis, nam promovere ordinandum ad officium aut munus aliquod, electionemq; antegressam confirmare, est jurisdictionis; ut & ipsa electio quæ confirmatur. Quamvis Pontificii plerique ordinationem referant ad potestatem ordinis à potestate jurisdictionis distinctam: quibus etiam Doctores quidam Reformati assentire videntur.

Electio pastorum non ligata sed libera esse debet, non positiva sed comparativa. *Is eligendus in sacerdotium, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior*, ait Origenes in Levitic. Hom. 6. *Carolus Magnus & Lodovicus Pius* in suis capitularibus hanc fuisse primitivam electionum formam testantur: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbis sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.* Verba habentur in Gratiani decreto distin. 63. cap. 34. sacrorum canonum. Hinc patronatus jura, præsentationes, collationes, concessiones facultatis eligendi, & ratihabitiones absolutæ, à quibus electio ecclesiæ pendet, vim suam obtinet, vel

irrita redditur, rejiciuntur; ut quæ libertatem ecclesiæ in eligendis pastoribus dignioribus tollunt. *Totam præsentationum, pleni iuris, patronatus, collationum, resignationum, & aliorum eiusmodi scelerum nundinationem à Satana profectam esse* Venerabilis *Beza* affirmare non dubitat in confes. fidei cap. 35. Et in libro de notis ecclesiæ, "collationis inquit ordinariæ „ sive devolutæ quas vocant, & resignatio- „ nis jura, ubi tandem, nisi in Satanæ co- „ quina sunt excogitata, intrita, percolata, & „ tandem omnibus summis & infimis demen- „ tandis propinata.„ idem de resurrectione Homil. 13: "annon etiam cuilibet notum „ est, pro electionibus Christianis fuisse in ec- „ clesiam intrusos patronatus, indultos, resig- „ nationes, permutationes, devoluta, tam „ aperte, tam directe, & ex diametro repu- „ gnantia omnia ecclesiæ veteri, & antiquis „ puris canonibus, quam tenebræ luci sunt „ contrariæ.„ Recte observat gravissimus Theologus *Calderwood* electionem ministri ejusque libertatem rem esse magni momenti, in qua vertitur periculum animarum & ædificatio ecclesiæ, "postquam, inquit, altar. Damas. pag. 10., defiit libera electio, desierunt sa- „ cerdotes aurei, & pseudo-episcopi vel pa- „ pismum vel epicureismum invexerunt, unde „ tot fungi, asini, stipites, tot aleones, tot „ porci,

porci, imo apri sylvestres immissi in vineam „ Domini, nisi ex aulis regum & Pontificum „ Romanorum.„ Cum in Concilio Tridentino ageretur de episcoporum qualitatibus, nulla erat controversia, omnibus in vitia & enormitates præsulum atque ordinis ecclesiastici uno ore declamantibus. Verum *Iohannes Salazar* episcopus *Laucianensis* culpam omnem in aulam Romanam tanquam mali fontem conjecit, quæ in episcopatuum distributione non personarum promerita, sed operam sibi præstitam contemplatur. quem episcopus *Bitontinus* excipiens, *prudenter admodum respondet, immerito in curiam Romanam crimen illud conferri, quod alio sit transferendum. Cum in Germania episcopatus per electionem, in Gallia, Hispania, Hungaria, per nominationem regiam deferantur; in Italia sint plerique de jure patronatus: & in hisce qui sunt liberi, deferendis, principum commendationibus, quorum preces sunt armatæ, plurimum sit tribuendum, qui cum excusationem non admittant, pontifici eorum pro merito conferendorum, libertatem adimunt.* *Petri Suavis* historia Concilii Trid. pag. 277. Galli in Synodo *Rhotomagensi* 1581. vertunt se ad planctum & preces, *optamus omnes*, aiunt, *à Deo atque à Christianissimo nostro rege supplices precamur, electiones restitui cum veteri & sincera eligendi forma. Sed quoniam impetrandi spes nondum ostenditur, cum contigerit*

gerit sedem vacare, preces & solennes supplicationes ad Deum, ut gregi pastorem det idoneum, fieri mandamus, Bochellus in decretis eccles. Gallic. pag. 771. Et in Synodo *Burdigalensi* hunc canonem decernunt, quem habet idem *Bochellus* in decretis ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. Tit. 8. cap. 7. *ut in posterum felicius quam antea, præsertim ex quo sublatæ fuerunt electiones, ecclesiis cathedralibus & monasteriis provideatur, Regem Christianissimum per viscera miserecordiæ Dei ac per Christi sanguinem obsecramus, atque obtestamur, ut pro sua in Deum singulari pietate, ad ipsius Dei gloriam, & ecclesiæ utilitatem; nec non ad exolvendam maxima religione, summisque angoribus liberandam conscientiam suam, facultatem eligendi idoneos & utiles pastores ecclesiæ restituat.* Feliciores igitur essent res ecclesiæ, si presbyteriis permitteretur libera electio, quam cum eam totam aut integram, aut partem necessariam sibi arrogant principes, aut nominationem, aut comprobationem; solummodo relicta ecclesiæ, umbratili quadam electione, quæ proprie electio dicenda non est: nam electio omnis libera, & proprie comparativa est; qua ex pluribus unus eligitur maxime idoneus.

Ius vocandi pastorem est penes ecclesiam illam totam, cui minister vocandus debet inservire; probat hoc *Amesius* Cas. consci. lib. 4. cap. 25.

cap. 25. quæst. 5. thes. 3. hisce rationibus. 1. *Quia ministri dati sunt ecclesiæ à Christo, ut ordinaria & certa ratione possint ab omni ecclesia procurari, sed si ab aliis penderet vocatio, ecclesiæ sæpe destitueretur certa ratione ministros sibimet procurandi, & proinde talis ecclesia esset à Christo instituta, quæ non esset sibimet sufficiens in seipsa.* 2. *Si penes alios homines esset jus vocandi, tum ecclesia non immediate acciperet ministros a Christo, sed ab illis, quorum jus hoc esset.* 3. *Alia ratione non potest fieri, ut ecclesia semper ex libera voluntate subjiciat sese suis ministris: quod tamen in ministerio non minus est necessarium quam in conjugio.* Ad argumentum hoc illustrandum addo judicium & rationem cardinalis *Cusani*, & in illo totius Concilii *Basiliensis*, ut observat *Amesius*, sic enim ille de concordia Catholica lib. 2. cap. 18. *Rectores ecclesiastici per consensum jure divino & naturali constitui debent, & ut Avitius papa dixit, tunc oportet ut qui omnibus præesse debet, ab omnibus eligatur dist. 66. Archiepi. & quod nullus detur invitus, ut infra dicetur, quoniam secundum sanctum Leonem nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeatur non electus. Ab hoc enim ut unum corpus in concordia constituatur, ex subjectis & præsidente, ratio & naturale jus simul & divinum exigunt, in hac spirituali unione matrimoniali consensum mutuum; quem ex omnium electione, & e-*

electi consensu deprehendimus. Nos addimus argumentum a clavium potestate desumptum, ecclesiæ toti claves regni cœlorum datæ sunt Matth. 16. 18. Data igitur & ei est potestas eligendi eos, qui clavibus ex officio utantur. Schola *Parisiensis*, *hoc infallibili* (ut inquit) *munita firmamento congruenter ad mentem omnium antiquorum Doctorum ecclesiæ perpetuo & constanter docuit, Christum fundando ecclesiam, prius, immediatius, essentialius, claves sive jurisdictionem toti ecclesiæ dedisse, quam Petro; primario, proprie, & essentialiter ecclesiæ conveniunt, Episcopis instrumentaliter, ministraliter, & quoad executionem* tract. de ecclesia & politica potestate par. 1. Hinc *Maegdeburgenses* ita concludunt Cent. 1. lib. 2. cap. 4. *habet ecclesia in quolibet loco, hoc est totus cœtus, tum (ut nunc vocamus) laicorum tum clericorum, conjunctim potestatem eligendi, vocandi, & ordinandi, ecclesiæ ministros idoneos, & deponendi, & fugiendi falsos doctores, aut vitæ turpitudine ecclesiæ ædificationi nocentes. Constant hæc ex testimonijs de potestate clavium: nam claves toti ecclesiæ sunt traditæ: ea vero si vocat ministros nihil aliud facit, quam ut eis claves commendet, pertinet ergo ea potestas ad totum ecclesiæ cœtum.* Accedunt alia reformatorum argumenta, quæ proponimus verbis *Tileni* in Syntag; part. 2. disp. 25. thf. 9. &c. *Efficiens sive author vocationis est Deus, ecclesiæ*

pater

pater in Christo, cui eam despondit: is proprie ministros dat ecclesiæ, operarios in messem, colonos in vineam suam mittens 1. *Cor.* 12. 28. *Eph.* 4: 11. *Matth.* 9. 37. & 20. *instrumentum ejus est ecclesia, quæ exploratis legitimo examine donis vocatorum, suffragio suo astipulatur divinæ vocationi, eamque ratam & gratam habet. Ecclesiæ nomine intelligimus utrumque genus partium integrantium pastores & oves: sunt enim hæ oves* κατ' ἐξοχὴν *non brutæ pecudes, ac vocem pastoris à voce alieni & ululatu lupi internoscunt. Omnino cujus authoritate ministerium suscipitur, ejusdem authoritate ministri vocantur. Quocirca cum sacrum ministerium ex Christi & ecclesiæ, id est, sponsi & sponsæ authoritate suscipiatur, utriusque authoritate ministros vocari necesse est. Quod si ne Apostoli quidem, quibus nemo in ecclesia dignitate par, soli & absque populi suffragio elegerunt ministros Act.* 1. 23. & 6. 5. & 14. 23. *multo minus ordinarii pastores hanc potestatem sibi jure asserere possunt. Imo nec in minoribus negotiis, puta in mandatis & eleemosynis ad ecclesias perferendis, soli Apostoli, sive reliquorum presbyterorum, totiusque adeo ecclesiæ consensu, & communibus suffragiis, legatos eligere sustinuerunt, quamvis singulari quodam jure id facere possent Act.* 15. 23. 2. *Cor.* 8. 19. Hoc adeo manifestum est ut *Azorius* ipse Iesuita institut. moral. Part. 2. libro 6. cap. 14. fateatur "negari non posse ritum esse ab Apostolis „

servatum,

servatum quo ministros ecclesiæ præficiebant „ populi testimonio approbatos Act. 1. & 6. „ & 13. & 14. Quem ritum & formulam ecclesia „ diu servavit, quia Apostolorum exemplum „ sequi voluit.„ Et Iesuita *Sanchius* in commentariis in Act. cap. 14. vers. 22. "ex omnibus „ eliguntur populi suffragiis vel certe cum e-„ jus approbatione, docet hoc primum Mat-„ thiæ, deinde septem Diaconorum electio „ quam consuetudinem in ecclesia servatam es-„ se diu constat ex Clemente lib. 8. constitut. „ cap. 2. ubi omnino ad episcoporum ordina-„ tionem populi suffragia requiruntur.„ Qui de suffragiis, electione, rejectione, decreto, & consensu plebis, canonum, & exemplorum ex ecclesiastica antiquitate congeriem desiderat, adeat *Spalatensis* lib. 3. cap. 8. de repub. ecclesiastica. Hinc Azorius Iesuita part. 2. lib. 3. cap. 28. "fatetur veterem ritum ac mo-„ rem fuisse episcopos eligendi, quo plebe præ-„ sente, Imo & ipsius suffragiis aliquando eli-„ gebantur, eamque rationem eligendi durasse „ usque ad Gregorium primum imo & ad Ca-„ roli Magni & Ludovici Pii usque tempora „ perdurasse.

Hinc mortuo pastore totoque presbyterio sublato, potestas tamen vocandi manet in manibus Christi & ecclesiæ. Pastor decedens non transmittit potestatem clavium ad suos succes-

sores

ſores, ſed ut ipſe *Bellarminus* lib. 1. cap. 12. de Pontifice concedit, "moriente Pontifice claves manent in manibus Chriſti: nullum au-„ tem certum ac deſignatum ſuppoſitum in-„ ter Chriſtum & miniſtrum ſuccedentem in-„ tercedit, ad earum derivationem, præter ec-„ cleſiam cui præficitur: neque magis conſen-„ taneum eſſe quidquam poteſt quam ut mini-„ ſtri Chriſti, quaſi ex manu ſponſæ ejus acci-„ piant poteſtatem miniſtrandi; inquit Doctor *Ameſius* in *Bellarmin.* de Cleric. cap. 2. Not. 25. Exinde etiam in caſu neceſſitatis, ne peritura ſit eccleſia, pii & fideles congregati in nomine Chriſti, poſſunt eligere miniſtrum, & electum inducere in miniſterium, nullus fidelium cœtus adeo parvus, in vera fide conſociatus, qui in extrema neceſſitate ſi conſtituatur, non habeat tantum poteſtatis in rebus eccleſiaſticis, quantum Theologi diſputant à Domino univerſali eccleſiæ ad ſuam ædificationem, tam in doctrina fidei, quam in diſciplina morum, eſſe datum, & relictum. "Theologorum com-„ munis ſententia eſt clavium nomine omnem „ ſignificari poteſtatem eccleſiaſticam, eas da-„ tas non tantum perſonis ſed etiam univerſæ „ eccleſiæ;„ inquit *Saravia* de triplici epiſcopatu pag. 90. Et recte in hunc finem *David Calderwood* pag. 236. altar. Damaſc. "Domi-„ nus ſic proſpexit eccleſiæ ſuæ quod ſi nullibi „

repe-

reperientur ſacramentorum miniſtri, eccleſiæ „ tamen contulit eam poteſtatem inſtituendi „ miniſtros, & collapſum ordinem reſtau- „ randi.

Radicaliter igitur & originaliter jus poteſtatis vocandi miniſtros in Eccleſia eſt, & quidem ſemper, etiam extra caſum neceſsitatis, ordinarium tamen inſtrumentum Eccleſiæ advocationem peragendam eſt preſbyterium; quod paſtores, ex poteſtate derivata ab eccleſia, cum ejus conſenſu, aſſenſu, & ſuffragio conſtituit, quod *Iunius* de ordinatione, de Cler. lib. 1. Cap: 2. not. 3. id nos de tota vocatione jure dictum putamus: *profecto* (inquit) id legitimum eſt, ut in miniſterio ἰδικῷ ſive ſingula- „ ri hujus aut illius eccleſiæ, per ipſam eccle- „ ſiam ordinetur miniſter communi eccleſiæ nomine, atque hoc eccleſia agit per ſuum preſ- „ byterium tanquam ſi per ſe ageret: nam ex „ omnibus membris conſtat eccleſia ſimplici- „ ter, ex ſuo presbyterio conſtat repræſentative. „ & Cap: 3. 16. id enim ponendum eſt, autho- „ ritate vtraque dei & eccleſiæ paſtores a paſto- „ ribus ordinari: dei quidem & Chriſti, ut me- „ diatoris domini & ſponſi; eccleſiæ vero, ut „ ſponſæ illius, hic communis eſt ſponſi ſpon- „ ſæque authoritas, cujus ſunt communes admi- „ niſtri, a Chriſto & eccleſia inſtituti, quos „ Epiſcopos, presbyteros, ſive paſtores appellant.

Sic

Sic totam in solidum ordinationis potestatem,, habet Christus quam cum ecclesia sua commu-,, nicat: uterque vero pro jure suo sponsus in-,, quam & sponsa presbyterio tradit jure divino,,, argumenta quæ hanc sententiam confirmant ,, non meis sed probatorum authorum verbis proponere lubet. *Chemnitium* audiamus: *illud* (inquit) in historia Apostolica vtile est obser-,, vare, quod aliquando simul & ministri, & reli-,, qua ecclesia conjunctim proponebant & eli-gebant, quos judicabant idoneos, ut Act. 1.,, aliquando ecclesia proponebat & eligebat, A-,, postolorum vero judicio subjiciebatur electio,, approbanda act. 6. sæpe vero Apostoli qui de,, his rebus melius judicare poterant, ecclesijs,, proponebant quos judicabant ad ministerium,, idoneos esse, & cum accederent suffragia &,, consensus ecclesiæ, rata erat vocatio. Ita Pau-,, lus ad ecclesias mittit Timotheum Titum Sil-,, vanum &c. Ita act. 14. proponuntur presby-,, teri, in quos ecclesia per χειροτονίαν con- ,, sentit. Interdum etiam quidam operam suam,, ecclesiæ offerebant 1 tim. 3. qui Episcopatum,, desiderat, bonum opus desiderat. semper tamē,, in legitima vocatione tempore Apostolorum,, aderat & requirebatur consensus ecclesiæ, judi-,, dicium, & Approbatio presbyterij " In Exam. Concil. Trident part. 2. de Sacram. ordinis. Addo exactissimum judicium summi & eruditi viri

viri *Gersomi Buceri* de gubernat. eccles. pag. 323. "ad hæc omnia si serio attendamus, inquit, a-„liquot capita in hoc argumento, ex scripturæ „judicio, pro firmissimis habebimus. Primum „est, electionem & ordinationem ministrorum „ad ecclesiam pertinere, non ad τοὺς ἔξω, qui „alieni sunt à fidelium commercio, nondum-„que ad horum societatem conjunctionemque „se applicarunt. Nusquam enim legimus in sa-„cra scriptura talium vota in ministrorum ele-„ctionibus adhibita fuisse. Secundum, perti-„nere hanc sacram actionem ad totam eccles-„am, nempe ad utramque ejus partem inte-„grantem, quarum una est ministrantium ec-„clesiæ, altera eorum quibus ministratur. Hoc „evidentissime declarant testimonia, quæ à „nobis producta sunt. Tertium non uni pau-„cisve ex presbyterio delectis, hoc negotium „committendum esse, sed ad totum presby-„terorum collegium communiter spectare. „Docent hoc Hierosolymitanæ & Antioche-„næ ecclesiæ exempla Act. 1. 23. & 6. 2. 3. & „13. 1. 2. & 14. 22. Quartum est, primarias „hic esse partes ministrorum ecclesiæ. Horum „enim fuit præesse & præire ecclesiæ, ne a mul-„titudine per levitatem aut tumultum, aut „improba studia peccaretur, ac proinde do-„cere & hortari singulos, universamque elec-„tionis actionem salutaribus rectisque consiliis „moderari;

moderari; id manifeste evincunt testimonia „ quæ protulimus. adjicio postremum, penes „ ecclesiasticos nominationem etiam præcipue „ fuisse; penes populum suffragatione consen- „ sum suum in eam declarare. Sic Apostoli cum „ unus in Iudæ locum sufficiendus esset, duos „ nominarunt: quum autem alterum sors ele- „ gisset, approbatio ecclesiæ continuo acces- „ sit: alias suffragatione etiam electioni operam „ contulit. Quod autem Apostoli in Diacono- „ rum institutione multitudini plusculum in- „ dulserint Actor. 6. 3. peculiaris ratio suppe- „ ditabat. Omnem enim ab se sinistram „ suspicionem, præsertim in ista ecclesiæ tene- „ ritudine, exortoque Græcorum adversus He- „ bræos murmure, propulsare debuisse, quo- „ rum calculi non approbent? *Calvini* verba: re- „ fert Lucas constitutos esse per ecclesias pres- „ byteros a Paulo & Barnaba: sed rationem „ vel modum simul notat, cum dicit factum „ id esse suffragiis, χειροτονήσαντες inquit πρεσβυτέρους „ κατ' ἐκκλησίαν. Creabant ergo ipsi duo: sed to- „ ta multitudo ut mos Græcorum in electio- „ nibus erat, manibus sublatis declarabat, quem „ habere vellet, *Calvin* institut. lib. 4. cap. 3. sect. „ 15. Ergo populi præcipue partes erant, ex „ iis qui nominati erant, suffragando aliquem „ deligere. Omnino plana hæc ex sacris literis. „ His *Amesium* adjungo, & manum de tabula, in

Bellar.

Bellarm. de Clericis. 2. Not. 25. Potest hoc qui-„dem concedi, vt, quod ministri habent aut„ agunt cum ecclesiæ consensu, id toti eccle-„siæ tribuatur; sed si nullæ essent ecclesiæ par-„tes, neque in potestatis hujus instrumentali„ derivatione, neque in vsu ejusdem moderando„ tum nulla ratio admitteret hanc formam lo-„quendi". Summa igitur hujus dissertationis huc redit 1. summum jus vocationis esse penes Christum solum, qui est caput ecclesiæ, & ministerii author, & Dominus ministrorum. 2. Ius delegatum esse penes ecclesiam totam, cui minister ecclesiæ debet inservire. 3 actus varios ad vocationem pertinentes ex ordine & divino jure a presbyterio; peragi quod authoritatem ab ecclesia derivata cum ecclesiæ assensu exercitium vocationis peragit.

Hoc jus electionis jam a nobis descriptum, ecclesiæ libertatum illarum pars est, quam Christus acquisivit sanguine suo, quamq; in alium transferre non licet aut alienare, magis quam hæreditatem regni cœlorum, cui annexa est. Nam de omnibus medijs salutis solicita debet esse ecclesia. Debet ergo eligere pastorem vnum ex mille, ut loquitur *Iobus*, prestantissimum, eruditissimum, & quem potest vigilantissimum, non ab aliorum pendere arbitrio, presertim principum, aut politicorum.

Ius

Ius igitur vocandi non potest proprie esse patronatus vel magistratuum qua sunt tales; *Quia Christus qui ministerium instituit de istis ordinibus nihil singulare præscripsit, nihil nouvi iuris ipsis communicavit, & ecclesiam sine illis optime ordinatam reliquit*: *Amesius* in Casibus lib: 4. cap. 25 quæst: 5. thes. 2. adde ea quæ doctissimus *Calder-Wood* habet. pag. 332. altaris damascenі *dimicant inter se Canonistæ & Imperialistæ, illi pro pontifice, isti pro imperatore: vtrinque adulatio: pauci pro ecclesia. Non quia pontifices hac libertate spoliarunt ecclesias, eam sibi vendicare debuerunt imperatores & principes, sed ut nutricii & advocati ecclesiæ, siquidem his elogijs gaudent, ecclesijs restituere. tributa exigant, regalia, aut jurisdictiones alias civiles, temporalibus Episcopatuum annexas, etiam infimarum curiarum recipiant; electionem pastorum, libertatem ecclesiæ non minimam, & ex qua salus ecclesiæ pendet, ecclesijs relinquant alioquin maioris sacrilegij postulabuntur*, quamsi mille Episcopatuum prædia diriperent. Ex-„ perientia ipsa elata voce clamat, magis aut mi-„ nus florentes esse ecclesias, prout magis aut„ minus libera electio; & florentissimas illas„ vbi docente & ducente presbyterio, honorati„ cives, & inferioris ordinis plebei fideles vna„ postulant, eligunt, aut dignos recipiendi &„ indignos recusandi, vt loquitur Ciprianus, po-„ testatem habent. Sed cum dormientibus &„

invitis gementibus vel hiscere non audentibus„ proponitur Episcopus quem aula vel pontificis„ vel principis emiserit, hinc Epicureismum, il-„ linc papatum, vel etiam hinc papatum & il-„ linc Epicureismum invehiin ecclesia coecus est„ qui non perspicit". Verbis *Athanasii* finio in Epistola ad solitariam vitam agentes *ubi ille canon* inquit *vt a palatio mittatur is, qui futurus est Episcopus.*

CAP. II.

Examen quartæ quæstionis á Cl. Vedelio propositæ.

QVæstio est *an magistratus habeat potestatem vocandi pastores seu ministros ecclesiæ*, multa circa hanc quæstionem expendit Vir Cl. disserit enim quid ordinarie Magistratus per suam potestatem in vocatione pastorum facere legitime possit; deinde quid extraordinarie in casu contentionis inter ministros. Nos ipsius vestigiis insistemus κατὰ πόδα subsequemur ea in examine, quæ de hac re exponuntur. Statuit D. Professor 1. loco ex jure divino Magistratui competere potestatem formalem una cum ministris & personis ecclesiasticis, ecclesiæ pastores vocandi. Ita enim inquit pag. 32. *vocatio pastorum pertinet ad Magistratus formaliter,*

ter; seu clarius loquendo, non soli ministri, sed etiam Magistratus de jure divino potestatem habet vocandi pastores. Vt hæc quæstio, & vis & veritas nostræ oppositionis tanto clarius pateat Lectori, supponimus 1. ex capite superiori, jus formaliter vocandi pastores originaliter esse in tota Christi ecclesia, & proinde omnia ecclesiæ membra, etiam illa quæ Magistratus munere & dignitate sunt ornata, quatenus sunt membra ecclesiæ, potestatem habere vocandi pastores; sed id jus non esse jus Magistratus, qua Magistratus, sed esse jus membrorum ecclesiæ, quatenus membra sunt, & proinde omnibus ecclesiæ membris commune.

2. Asserimus potestatem formalem vocandi pastores, seu potestatem formaliter vocandi pastores, non pertinere ad Magistratum ratione sui muneris & dignitatis; sed jus vocandi pastores & exercitium ejus juris a potestate muneris Magistratus alienum esse, & separatum; ita ut Magistratus qua Magistratus ex jure divino nec solus nec una cum ecclesiasticis vocare possit. Quod invictis & firmissimis rationibus probamus.

I. Vocatio pastorum ab ecclesia tanquam Christi sponsa peragitur, nomine sponsi Christi mediatoris, qui operarios suos in messem mittit: hoc asserit Cl. *Iunius* in *Bellarmin.*

larm. de Clericis lib. 1. Cap. 3. not. 16. *id enim ponendum est inquit, authoritate utraque, Dei & ecclesiæ pastores à pastoribus ordinari: Dei quidem & Christi, ut mediatoris & Domini & sponsi, ecclesiæ vero vt sponsæ illius, hic communis sponsi est sponsæque authoritas: cujus sunt communes administri a Christo & ecclesia instituti, quos Episcopos sive pastores sive presbiteros appellamus. Sed totam in solidum ordinationis potestatem Christus habet, quam cum ecclesia sua communicat: uterque vero pro suo iure, sponsus inquam & sponsa, presbyterio tradit iure divino.* Ex hac ratione hoc argumentum educimus: vocatio peragitur nomine Christi, ab ecclesia tanquam ejus sponsa; magist. vero qua magistr., non est ecclesia Christi spōsa, nec nomine Christi functione sua desungitur, ei igitur vocatio pastorum formaliter non competit. vel etiā hoc modo argumentum inde elicere possumus: vocatio pastorum mediatoris Christi & ecclesiæ sponsæ potestate & authoritate fit, proinde ab ijs tantum potest peragi, qui Christi mediatoris & ecclesiæ sponsæ Christi ministri sunt: at magistratus ratione sui muneris non est minister Christi mediatoris, nec ecclesiæ sponsæ Christi, sed est ordinatio Dei creatoris, vt id in superioribus evicimus, ergo ab eo vocatio pastorum non potest peragi.

II. Ratio; tota potestas omnisque authoritas quæ per vocationem pastoribus traditur, a solo Christo traditur per ecclesiam tanquam

quam instrumentum, quo ista potestas ad pastores derivatur. Recepta est sententia omnium fere scholasticorum, potestatem clavium, quæ illis est jurisdictio interior in foro conscientiæ; nobis tota potestas ecclesiastica, a Deo & Christo solo communicari; judiciosissime hanc sententiam determinat *Henricus a Gandavo* quotlibeto 9 quæst: 22. Episcopi", inquit, immediate a Christo habent potestatem, tam„ eam quæ est ordinis, quam eam quæ est iu-„ risdictionis, in ordinando ecclesias secun-„ dum instituta divinælegis". Ita & reformati omnem sacri muneris pastorum authoritatem a Deo & Christo solo ministris ecclesiæ dari, & hominum actionem tantummodo intervenire vt instrumentum quoddam; homines vero quorum opera tanquam instrumento pastores suum munus a Christo accipiant, optimi & juris divini in regimine ecclesiastico observantissimi inter pontificios, statuunt ecclesiam Christi, sicut videre est apud *Azorium* instit: moral: par. 2. lib. 3. cap. 30 vbi hec propositio *Petri Soti* exstat diligenter notanda, Antiquissimi illi Episcopi, Cyprianus, Au-„ gustinus, a Romano pontifice nihil sibi„ arbitrabantur in suis diœcesibus commissum„ esse: electione plebis & ordinatione com-„ provincialium, quasi instrumento quo-„ dam, putabant se suscipere authoritatem".

fic etiam reformati, nam vt ſuperiori capite ex *Amesio* in *Bellarm.* oſtenſum, *nullum certum ac designatum ſuppoſitum inter Chriſtum & miniſtrum ſuccedentem intercedit ad clavium derivationem præter ecclesiam, cui præficitur.* Iam vero magiſtratus non, eſt eccleſia, ejus opera vt inſtrumento paſtorum munus a Chriſto non communicatur, nihil de hoc miniſterio quod Chriſto preſtet magiſtratus in ſacris occurrit. Ergo paſtorum vocationem per quam hæc poteſtas a Chriſto traditur miniſtris magiſtratus obire non poteſt. Vel etiam hoc modo hoc argumentum vrgeri poteſt; per vocationem paſtorum claves regni coelorum committuntur, vt tractentur ab ijs qui vocantur: ab illis igitur ſolis peragi poteſt vocatio, quibus claves regni coelorum a Chriſto datæ ſunt, & illa a Chriſto data poteſtate ad alios poſſunt derivare ijſque committere, at non magiſtratui claves coelorum ſunt datæ, vt contra *Eraſtum* demonſtrarunt orthodoxi; proinde per vocationem paſtoribus eas tradere non poteſt; quod enim quiſpiam non habet id alijs dare non poteſt. *At ecclesia* (cui ſoli datæ ſunt claves) *poteſt sibimet ipſi proſpicere, vt ab ijs tractentur, ex quorum miniſterio maximum commodum percipere poſſit* Ameſius in Bellarm. de Clericis Cap. 2. nota. 25.

III. Ratio, quidquid Magiſtratus ratione ſui muneris legitime Agit, agit poteſtate imperiali, coac-

coactiva, architectonica, & suprema, atque vocatio pastorum non fit aut peragitur ab ijs quibus actus electionis competit, potestate imperiali aut architectonica; sed ministeriali, & derivata ab alijs; & cum consensu seu postulatione & suffragio populi: ex eo enim pendet vt *Azorius* etiam recte observat, ne pastor invitis ovibus præficiatur, *vt pastor ab ovibus magis ametur & colatur, vt inter pastorem & ecclesiam conjugium spirituale muto amborum consensu contrahatur.* Vocatio igitur pastorum a Magistratu vi muneris sui non fit.

IV. Ratio. *Vocatio pastorum ordinaria quæ in scripturis & antiquis patribus memoratur, exurgit quasi totum ex electione & ordinatione* inquit *Amesius*; qui igitur formaliter vocationem pastorum peragit etiam formaliter versatur circa vtramque ejus partem; at magistratus formaliter non versatur circa confirmationem ex sent. Cl. viri ergo nec circa elect. sunt enim ejusdē naturæ & formæ, partes integrantes vocationis.

V. Ratio. Ius & potestas vocationis competit ijs, qui vocant pastorem ex instrumentali derivatione ecclesiæ, cui etiam suæ sunt partes in vsu hujus potestatis moderando: atque ius & potestas magistratus ei non competit ex instrumentali derivatione ecclesiæ nec potestatem aliquam habet ecclesia in vsu juris magistratus moderando: ergo ius & potestas vocationis ad

jus & potestatem Magistratus non pertinet.

VI. Ratio; Quidquid Christus Apostoli & Evangelistæ ad constitutionem & gubernationem priscæ ecclesiæ observarunt, tradiderunt-que observandum precepto sive exemplo suo sacris, id de jure divino est: atq; nunquā suffragio magistratus elegerunt ministros, sed populo & ecclesia suffragante; quis igit. alitet possit iure? sub V. T. a Magistratu non eligebantur sacerdotes & Levitæ. Hinc *Iunius* Cap. 7. lib. 1. de Cler. Not. 71. affirmat *Eleasarum non a Mose electum, sed familiam ejus communiter fuisse electam a domino; & Eleasarum proinde ab eodem electum non singulari electione se d naturæ consequentia, ex familiæ Aaronis prærogativa.* Hinc idem doctor cōcludit, hac in re proprium, circumscriptum & perfectum jus de vocatione ministrorum ex exemplis & præceptis N. T. petendum esse. Ita enim inquit ad Locum Cypriani, qui ex exemplis V. & N. T. probat, assensum & suffragium populi ad pastorum vocationem requiri, not. 70 ibidem *exemplum hoc Eleasari, quia legale & imperfectum est communivit alijs exemplis ex N. T. sumptis, quæ magis propria & circumscripta sunt. Eleasar autem non fuit electus in persona, sed familia electa a deo non ab hominibus, alii in N. T. etiam ab hominibus electi sunt pleniore exemplo, & ab ecclesia N. T. observando.* Quod igitur iure, præceptis sive exemplis N. T. sanctitum est, ab omnibus est observandum.

VII. Ra-

VII. Ratio. Vocatio tribuit jurisdictionem spiritualem, & munus quod spiritualem corporis Christi ædification. vi suæ institutionis perficit ephes. 4. 12. & facit hominem re ipsa pastorem legatum & ministrum Christi, œconomum & dispensatorem misteriorum dei, qui Christi nomine legatione fungitur. At vero magistratus hæc tribuere & efficere non potest, quoniã nec formaliter nec eminenter ei competunt jurisdicto spiritualis, aut munus spirituale ad ædificationem corporis Christi, nec pastoris, aut legati aut ministri Christi dignitas. Vocatio igitur formaliter ei non competit.

VIII. Ratio. Pastores & Episcopi sunt & dicuntur ministri ecclesiæ 1 cor. 3. & 1. pet. 5. quia nempe solent et communi lege debent eligi ab ecclesiæ societate, et quia non tantum imperia mandata et voluntatem Christi declarãt et exequuntur; sed etiã voluntatem ecclesiæ erga particularia membra. Ita vt non tantum regant sed etiam pareant ecclesiæ. Ita sentit *Amesius* in *Bell.* de Clericis Cap. 2. not. 27. at pastores non sunt ministri magistratus, nec voluntatem eius erga ecclesiæ membra exequuntur: ergo ab eo non vocantur. Ita argumentatur *Iun.* ex hoc argumento, *eius est ministros eligere cuius authoritate ministratur, authoritate sponsi & sponsæ administratur est igitur sponsi & sponsæ ministros eligere, in Bel.*: de Cler. lib 1. C. 7. not. 45. Nos assumimus at non authoritate magistratus ministratur; ergo mi-

ministros non eligit. Deinde not: 46. *etsi suam quisquæ ecclesiam regunt, atque in ea præsident, tamen ministerio præsident, veluti ministri dei & ecclesiæ, sponsi & sponsæ simul, teste Apostolo* 1 *cor:* 3 *&* 4. *vti Cap.* 3. *Not.* 16. *Ostendimus; ac proinde obediunt singuli vt sponsæ Christi, per suum presbyterium aut per pleniora prophetarum concilia voluntatem sponsi & suam exponenti; Nam spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt* 1. *cor:* 14. hæc vero magistratui applicari non possunt; proinde nec ipse ministros ecclesiæ eligere potest.

Addimus argumenta in superioribus dissertationibus proposita; vt quod omnis potestas magistratus formaliter sit politica, jus vero vocandi pastores non sit politicum, proinde quod formaliter magistratui hoc non conveniat. Item quod vocatio pastorum peragatur ex potestate clavium coelorum, & potestas clavium magistratui qua magistratui formaliter non competat, sed ecclesiæ, proinde quod jus formaliter vocandi pastores, non magistratui, sed ecclesiæ competat. Deinde quod ecclesiæ competat electio pastorum, magistratus ratione sui muneris non sit ecclesia, potest enim abesse ecclesia existente. Denique accedit, quod magistratus munus & actio non sit spiritus sancti instrumentum, quo procuret & prospiciat ecclesiæ in spirituali regimine, & bono supernaturali, cum tamen vocatio pastorum a spiritu

sancto

ſancto pertalia inſtrumenta peragatur, quibus eccleſiæ proſpicit de bono ſpirituali act. 20. 28. rationum ſat. quas ſi reverendus vir in timore dei abſque præjudicio penſitare velit, niſi me fallat animus, convicta conſcentia captivus deducetur in obedientiam hujus veritatis quam propugnamus.

Ojbicit Cl. vir doctrinam hanc de poteſtate magiſtratus formaliter vocandi paſtores eſſe doctrinam totius eccleſiæ reformatæ hoc vero nobis nec ex concordiæ formulis, quibus Doctrina eccleſiæ reformatæ continetur, jmo ne quidē ex ſcriptis Theologorum reformatorum liquiet. Noſtræ omnes eccleſiæ, earumque doctores hactenus docuerunt electiones paſtorum eſſe juris divini, & ordinarie ad eccleſias ipſas pertinere; quomodo hoc cum ſententia D. profeſſoris conveniat videat id lector ex argumētis precedentibus. faſtuoſa hac jactantia, quod doctrinam totius eccleſiæ Reformatæ proponat ſuperbit D. Frater, ſed quam vere norunt docti qui Theologorum lucrabationes ſalutarunt. Nos vnici illuſtris doctoris *Franciſci Iunij* nempe judicium hic ſubjungimus vt pateat quid reformatæ eccleſiæ doctor iſte ſentiat. Inde autem ab eo tem-„ pore“ „inquit, eſtuante factionibus eccleſia, „ decreta ejuſm. vltro citroq; iniuſte facta ſunt, „ imperatoribus & populo eccleſiam prementi-„ bus, eccleſia viciſſim reluctante, ad concilium, „

Nicenum

Nicænum secundum usq; : cujus adeo ambarum partium πραξικοπίαν *sublaturi Carolus Magnus & Ludovicus filius ad primitivam electionum formam in suis capitularibus omnia revocarunt, ut habetur Distin. 63. Capite Sacrorum Canonum ; ajunt enim Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundum Statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. Hæc Caroli Magni reformatio utrosque & clerum & populum atque in eo Magistratum, revocans ad æquabilem & justam priscorum canonum observationem : nec populi solius aut Magistratus est electio, quod concilium Nicenum negat ; nec solius cleri, quod prisci canones : sed conjunctim ad utrosque pertinet, ut capitulari Caroli, & Lodovici prudenter cautum.* & deinde : *etsi revera cum penitus ad omnia sine prejudicato animum advertimus, comperias, Nihil aliud istis omnibus probari, quam ista duo. 1. Non esse laicorum ut soli eligant, nec esse oportere. 2. ne Magistratus quidem ipsius, aut potentiorum esse, ut ampliorem sibi potestatem imperiumque in electionibus ecclesiasticis arrogent ; ubi omni æquabilitate christiana, suffragiorumque libertate, quam Christus paravit, mandavitque*

davitque in regno suo, curari oporteat. Atque has quidem res nos etiam affirmamus esse æquissimas. ubi Doctissimus Vir æquissimum judicat, quod populus et in eo Magistratus revocetur ad æquabilem et iustam canonum observationem, vt omni æquabilitate Christiana et suffragiorum libertate electiones ecclesiasticæ curentur: nihil igitur magis magistratui asserit quam populo.

Probat Cl. vir sententiam suam *constitutionibus ecclesiasticis speciatim Synodi Dordracenæ art. 4. 5. & praxi ecclesiarum reformatarum: quibus asserit doctrinam reformatæ Ecclesiæ expressam esse.* Ad hæc nos. Negamus constitutiones ecclesiasticas exprimere seu exhibere nobis doctrinam ecclesiæ reformatæ, de rebus quæ constitutionibus illis Synodorum continentur: quod his rationibus patet.

I. Quia constitutiones ecclesiasticæ, speciatim Synodi Dordracenæ, ius patronatus, servitutem illam ecclesiarum admittunt, quam omnes reformati, etiam illi qui Synodo dordracenæ interfuerunt, reiiciunt, vt verbo dei, reformatæ doctrinæ adversam, ex reliquiis papismi ecclesiarum seu potius politicorum praxi adhærentem. Vide disputationes *Cl. Voetii* de vocatione ministrorum et iure patronatus.

II. Quia constitutiones ecclesiarum reformatarum de regimine ecclesiastico in multis captibus inter se diversæ et adversæ sunt: conferant.

con-

constitutiones ecclesiarum Angliæ de regimine Episcoporum, regio primatu, Cæremonijs, Archiepiscoporum functionibus &c. Prout a Mucketo in politia Ecclesiæ Anglicanæ describuntur, & in Synodo Londinensi Anno 1603. sunt confirmatæ. Item reformatarum ecclesiarum Palatinatus, Helvetiæ, Galliæ, Scotiæ, Ecclesiæ Genevensis, et patriæ nostræ Belgii, et in eo παραλλήλως componantur Geldriæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ, et Vltraiectinæ constitutiones, vt taceam de praxi singularum ecclesiarum, proculdubio qui hunc laborem exantlare velit, inveniet concordiam discordem.

III. Respondemus de suffragiis magistratus in electionibus pastorum per constitutiones ecclesiasticas admissis quod Cl. *Voetius* de sessione magistratus in Synedrio ecclesiastico respondet, „Synodus nationelis suffragia illa non sancivit, „sed volens nolens vt tunc erant tempora pos- „tulantibus ita politicis, ea ordini ecclesiastico „adjici passa est, quia aliter communis illustrium, „ordinum confirmatio sperari non poterat, spes, „tamen illa nihilominus decollavit; et frustra, „præiudicium hoc adversus felicitatem suam, „passæ sunt ecclesiæ, et post, quin insuper aliam, „multo maiorem ecclesiæ servitutem, ius scili- „cet patronatus adici passa est, nondum tamen „communis totius *Belgij* politica confirmatio, „haberi,

haberi potuit. Vnde videmus quam dextre ex „ iure & decretis ecclesiasticis hæc suffragia deri-„ ventur".

IV. Synodus non asserit suis constitutionibus ad magistratum pertinere ius formaliter vocandi pastores, sed tantum approbationem electionis ab ecclesia factæ magistratui tribut: quæ approbatio etiam politica est, et ita determinata ex constitutionibus Synodi nationalis Haga-Comittanæ Anno 1586. *An ob vitam electorum aut civilem conversationem legitimam causam habeat magistratus eos rejiciendi.* Hac approbatione magistratus procurat societatem politicam et pacem civilem subditorum: qua approbatione etiam versatur circa omnes cives in repub. admittendos: quæ et infideli et heretodoxo magistratui competit circa ministros omnesque cives admittendos; et toto coelo differt a jure formaliter vocandi ministros.

V. De constitutionibus et praxi ecclesiarum reformatarum in ecclesiæ regimine asserimus, quod iis ius divinum de rebus constitutis non describatur; sed ex consilio theologico tantum indicetur, quod istis temporibus ad bonum ecclesiæ commune fuerit subeundum, optime hæc distinguit et monet multiplici doctrina lectione et experientia instructus *Cl. d. Voetius* in corollario thesibus de potestate ecclesiastica subiecto, *aliud esse disputare de iure, aliud de ratione*

ratione & modo juris exercendi (quam distinctionem habet Grotius de pietate ordinum pag. 85.) de jure divino stricte & ad conscientiam disputamus, nullum enim iota legis solvendum, ut quisque sciat, quod sibi agendum: sed quid & quantum humanæ infirmitati, & variis defectibus pia & necessaria sæpe conniventia & tolerantia, cum tolli non possunt, concedendum sit, ut principale aut maius bonum ecclesiæ saltem haberi queat, in genere hic determinari, nec debet nec potest, inquit, *quia pertinet ad concilia Theologica de particularibus negotiis*; Synodos vero in constitutionibus de regimine in particularibus multa ex consilio Theologico ordinasse, cœcus est qui non videat. Recte & sancte, ecclesiæ Belgicæ in prima Synodo nationali quam celebrarunt in mediis persecutionum fluctibus, Embdæ in Frisia Orientali, cui inter reliquos eximios viros politicos interfuit *Philippus* ille *Marnixius, Sanctæ Aldegundæ Dominus*, Belgii decus, hoc palam profitentur, ut in præfatione refert author anonymus, qui harmoniam Synodorum Belgicarum publici juris fecit, hisce verbis: *qua autem prudentia & pietate viri vere sanctificati hoc excellens opus sint aggressi, his verbis significarunt: publice coram Deo & hominibus testatum volunt, qui his colligendis operam dederunt ministri, nullo aliarum ecclesiarum præjudicio id à sese factum esse; sed tantum habuisse rationem temporis,*

vis, locorum, personarum, & cæterarum circumstantiarum, quid ecclesiis Belgicis conducat, summa cura ac diligentia (implorato prius divino auxilio) exquisiverunt: & ita rem temperarunt, ut si contingat Dominum nostrum Iesum Christum, uberiorem gratiæ suæ fructum Belgio posthac aliquando concedere, tam quod ad Magistratus piam reformationem attinet, quam quod ad ecclesiæ proventum spectat, hæc ipsa capita latius extendere, & pro re & tempore, vel augere, vel minuere, vel quæ videbuntur immutare liceat. Et ut uno verbo concludam, assero illas constitutiones ecclesiasticas, esse humanæ authoritatis, & sic nullam facere demonstrationem in Theologia aut jure divino; easque aut meras esse concessiones ex charitate aut reverentia, si non voluntarias transactiones ad majus malum evitandum, quo modo quis volens & sciens merces in mare projicit, ut vitæ suæ consulat: aut indicare tantum jus humanum positivum canone ecclesiastico inductum; idque ex *συγκαταβάσει* ecclesiarum ob iniquitatem temporum. Hanc tamen *συγκατάβασιν* ecclesiarum vocationem ecclesiasticam non annihilare statuimus, cum ejus conditiones à Synodis præscriptæ recte servantur.

Pag. 33. inducit D. Professor exemplum & *& praxin celeberrimæ & optimæ constitutæ ecclesiæ Genvensis, cujus Senatus ecclesiasticus antequam*

Digitized by Google

ad nominationem paſtoris procedat petit facultatem à Magiſtratu; quam ſi non impetrat, ſuſpendit, aut plane omittit nominationem, ſi impetrat, progreditur: & tunc Magiſtratui proponit eum, qui ipſi maxime placuiſſet, qui ſi approbetur Magiſtratui res rata eſt, ſalvo jure totius eccleſiæ, ſi diſplicet Magiſtratui, alius eligitur. Et rectè, inquit Vir Cl., *atque prudenter obſervat VVernerus Helmichius, olim eccleſiæ Vltrajectinæ paſtor, indifferens eſſe ex ſe, ut vel Magiſtratus, ſi alicujus opera uti velit, in miniſterio, eum proponat conſiſtorio, vel conſiſtorium aut eccleſia, ſi quem cupiat vocari, eum Magiſtratui proponat: in tractatu Belgico de vocatione miniſtrorum: quæ prudentia etiam placet Sibbrando con. Gro. p. 172. ubi inter alia ait ſe de formuleitatibus cum nemine contendere velle, & Cl. VValæus eam Helmichii ſententiam quoque approbat pagina 174: Quod & ipſum in eccleſia Genevenſi obſervatur. Nec puto ullum modeſtum virum negaturum, iſtam libertatem Magiſtratui modo eccleſiæ ſalva maneat ſua libertas.* Ad hæc nos reſpondemus, conſtitutiones eccleſiaſticas hujus vel illius eccleſiæ ex conſilio Theologico decretas, jus divinum non exprimere, & proinde cum præjudicio aliarum eccleſiarum non eſſe urgendas: & quod ex circumſtantiarum ratione huic vel illi eccleſiæ ad commune ſuum bonum & commodum viſum fuit, id aliis eccleſiis, quibus alia tempora, & alii mores

in

in regulam & exemplum imitandum proponi non debet. Sed ut de jure disputemus, de facultate impetranda a Magistratu antequam ecclesia procedere possit ad nominationem seu electionem pastoris, & de approbatione Magistratus, qua electio ecclesiæ rata fit, et qua denegata, electio irrita redditur, nos assentimur iis, quæ Reverendus senex *Calderwood* in *Altar. Damasc.* hac de re congessit, ita inquit, pag. 7. "facultas eligendi pastores tradita est,, ecclesiæ, si facultas etiam facultatis exercitium, quod absolute non pendet a principum,, arbitrio. Alioquin frustra data esset facultas, quam absque alia insuper facultate in actum,, nunquam producere possit. Sic enim a principum arbitrio penderet, prædicandum sit nec,, ne Euangelium; primis 300 annis cum summi,, Cæsares erant Christianæ fidei hostes infensissimi, ecclesiæ eligerunt suos pastores. Dicent,, forte palpones aulici, quod alia sit ratio ethnici, alia Christiani Magistratus. Sed quid si,, Magistratus nomine Christianus facultatem,, concedere renuerit? Idem juris est de eo quod,, non est, & quod non apparet, recte eruditus,, & magnus Iunius in Ecclesiaste suo; tertium,, mutationis genus memoria nostra inolevit,, dum ij, qui eversa papæ, ut vocant, tyrannide,, procurant ecclesiarum instaurationem, jus,, illud ecclesiasticum institutionis, & ordina,,

tionis restitui, non curarunt ecclesiis, sed omnia committunt fidei Magistratus, & ab eo in rebus ecclesiæ utramque paginam faciendam putant, idque hoc nomine quod Christianus Magistratus. Et p. 111. *quod ad ratihabitionem electionis, si necessaria, eodem recidit, quo antecedens electionem facultas eligendi. Quid si oportune & importune rogatus, sit tamen inexorabilis, an irrita semper erit electio. Videtur certe mihi multo deterior ecclesiarum in eligendis pastoribus, quam civitatum in eligendis Magistratibus conditio; & cur in pari causa impar esset jus non video. Imperatores quandoque Patriarcharum electionibus se immiscuerunt, & contra canones electionis legitimam formam, reluctantibus multis, quandoque immutarunt, non tamen Episcoporum inferiorum electiones, aut ad episcopatus præsentationes, sibi obnoxias reddiderunt, donec omnia in deterius vergerent. Magistratus quidem minores, ut civitatum, in electionibus una cum populo interfuisse, & concedimus & laudamus.* Item pag. 332. *non damnamus simpliciter assensum regium. Non enim ignoramus Imperatores & principes electioni liberæ cleri & populi assensum suum quandoque adhibuisse. Sed hic ita pendere ab assensu principis electionem, ut denegato assensu vel omnis electio irrita redderetur; vel illa sola vim habeat, quam suo assensu roborarit, pernegamus. Nam prius tribuit principi potestatem privativam in iis quæ Christus concessit ecclesiæ primario & immediate; & sic nullos haberet eccle-*

sia

ſia paſtores, ſi ita Principi placuerit. At Princeps habet tantum poteſtatem cumulativam in libertatibus, quas Chriſtus tradidit eccleſiæ, non privativam. Poſterius etiam, ſi non omnem, liberam ſaltem electionem tollit, & perinde erit, ſive antecedenter elegerit, ſive conſequenter aſſenſum præbuerit, nam in idem recidunt. Si populus aliquem poſtulaſſet vel eligiſſet contra canones, ſæpius revocari ſolitos clerum & populum donec conſentirent in idoneum quempiam, dixit ſupra Pamelius. Sed ſi canonice quis electus a clero & populo, inutilem tamen reddi poſſe electionem per principem pro mero ipſius arbitrio iniquum eſset. Non ita pendet a ſummi Magiſtratus arbitrio, Magiſtratuum in civitatibus electio. Præterea quid opus eſt particulari aſſenſu principis in qualibet electione, ubi legum authoritate, id eſt principis & ordinum in comitiis conſenſu, legitima electionis forma ab eccleſia prius recepta ſanciri poteſtas. Huc uſque ſenex graviſſimus.

Novimus omnem approbationem Magiſtratus, quatenus ſunt membra eccleſiæ non eſſe rejiciendam; ut nec totius eccleſiæ & omnium membrorum ejus: ita enim concedimus & laudamus, ut jam dixit *Calderwood* Magiſtratus civitatum una cum populo electionibus intereſſe & vel ſuffragatione eligere, vel aſſenſu, electionem conſentire. Nec etiam rejicimus approbationem Magi-

Magiſtratus, qua procurat ſocietatem politicam & pacem civilem ſubditorum, qua approbatione etiam verſatur circa omnes cives, & ſubditos, in republica admittendos: hanc enim conceſſimus circa miniſtros ex artic. 3. Synodi nationalis Hagæ-comitanæ anno 1586. & iure divino concedimus, & competit Magiſtratui ratione officii.

At Genevenſem illam facultatem eligendi, & approbationem a magiſtratu impetrandam, prout a Cl. viro hic deſcribitur, quæque majeſtatis jure magiſtratui competeret, divino jure conſtare, non puto Theologum ullum modeſtum, prudentem, veritatis amantem, & aulicæ aſſentationis inimicum aſſerturum. Ne vero abſq; ratione, pro affectu, in re tam gravi, aliquid dicere videamur, rationes Theologicas ſubjicimus ex iure divino & ſacris litteris petitas; quæ ſolæ conſcientiis hominum, in omnibus agendis eccleſiaſticis, quietem, fiduciam, & certiorationem ingenerare poſſunt.

I. Hæc licentia & approbatio a Magiſtratu concedenda, eccleſiam ſpoliat poteſtate a deo ei ad electionem conceſſa, vt pote qua eccleſia privatur facultate & ſufficientia miniſtros ſibi procurandi, cum tamen eccleſia ita eſt a Chriſto inſtituta, vt ſibimet ſufficiens ſit in ſeipſa, vt ordinaria & certa ratione poſſit ſibi procurare ſuos miniſtros.

II.

II. Adimit libertatem ecclesiæ in eligendis Ministris optimis, ita vt is qui præstantior est in omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, qui particulari ecclesiæ gratior, qui ecclesiæ rebus gerendis magis aptus est, eligi non possit. Imo & qui libera præeunte ecclesiæ electione ad ministerium sacrum ecclesiæ nominatus & electus est, ipso tamen facto in ministerium induci, sacrari, aut confirmari non possit.

III. Efficit electionem ecclesiæ umbratilem & imaginariam; nam electio proprie facit ministrum & tribuit ministerium; uti solide contra Pontificios demonstrarunt orthodoxi, vide Cl. *Voetium* in desperata causa Papatus loco præcedenti capite citato: atque talis ecclesiæ electio ministerium non tribuit; sed magistratus actio proprie, per se, immediate ministerium confert; electio vero ecclesiæ inutilis, frustranea est, nullumque effectum per se immediate habet ad ministerium alicui tribuendum. Et positis omnibus a parte ecclesiæ ad ministerium tribuendum requisitis, manet tamen in magistratus potestate ministerium tribuere vel non tribuere. Electio igitur ecclesiæ non est electio; sed pontificia quædam juris patronatus præsentatio magistratus vero actio locum functionis episcoporum implet, qua patroni præsentatio admittitur vel rejicitur.

IV. Ius electionis in testimoniis & exemplis N. T. præscriptum hanc licentiam & approbationem a Magistratu impetrandam satis perspicue evertit: ecclesiæ enim suffragio & assensu electio rata est in praxi Apostolorum vt præcedenti capite vidimus: proinde ecclesiæ ius salvum esse non potest, vbi eius electio rata vel irrita redditur assensu aut dissensu Magistratus. Nullum hactenus exemplum vel testimonium de iure electionis ex sacris litteris est allatum, quo hæc potestas Magistratus in electionibus pastorum statuminetur. Alia argumenta in testimoniis *Caldervvoodi* iam allata hisce adde et videbis quam miseram servitutem serviant ecclesiæ, quæ hoc iugo politici Episcopatus premuntur.

Quamvis statuamus libertatem electionis ecclesiarum per hanc potestatem Magistratus imminui; ita vt electio eo modo & gradu libera non sit quo oporteat: Consensus tamen „ ecclesiæ voluntarius, vt in conjugio, sic „ in ministerio, quamvis iniquis rationibus „ procuretur, essentiam habet vocationis & „ elections necessario requisitæ". Ita *Amesius* Cas. Consc. lib. 4. Cap. 25. quest. 7.

Eadem p. 33. 34. citat Cl. vir testimonia *VVerneri Helmichii*, *Sibbrandi*, *Walæi*, quod statu-„ erint in ordinaria electione pastorum indiffe „ rens esse ex sese vt vel Magistratus, si alicujus „ opera

opera vti velit in miniſterio eum proponat „ conſiſtorio, vel conſiſtorium aut eccleſia, ſi „ quem cupiat vocari. Eum Magiſtratui pro- „ ponat“. An immerito fidem in Cl. Viro deſideremus in citandis præſtantium horum virorum teſtimoniis, iudicabit lector ex ipſis teſtimoniis quæ hic plena exhibemus. Ita igitur Wernerus Helmichus. Quod ad „ primum attinet, a quibus nempe electio o- „ porteat inſtitui, de eo docet ſcriptura, quod „ ius electionis & plena vocationis poteſtas to- „ ti Chriſti eccleſiæ competat, & non „ paucis ſolum perſonis, quæcumque vel cu- „ iuſcunque poteſtatis & authoritatis ſint. Quo- „ niam vero ſub Chriſtianæ eccleſiæ nomine va- „ ria eius membra comperehenduntur miniſtri „ nempe, Magiſtratus (cum orthodoxus & „ Chriſtianus eſt) & populus, ſic & ſingulatim „ indicat quodnam ius & officium vnicuique ho- „ rum eccleſiæ membrorum in negotio vocatio „ nis paſtorum competat: demandans nempe „ principalem huius negotii directionem & ad- „ miniſtrationem miniſtris ſeu eccleſiæ præpo- „ ſitis; approbationem vero et ratam vocationẽ „ coeteris membris ſimul: explicat deinde quid „ per principalem adminiſtrationem et directionem quam minſtris tribuit, intelligat; et probat ex ſcripturis eam iis competere: deinde modum explicat ſecundum quẽ peragenda eſt vocatio: ad teſti-

teſtimonium vero accedens, quod Cl. Vir hic citat, ita inquit, ex his hæc forma exurgit propo-„ ſitionis & præſentationis, vt electio & vocatio„ rata ſeu plena fiat, qua nempe probati homi-„ nes a miniſtris primo proponuntur eccle.„ qui „ ab eccleſia approbati, miniſtrorum & eccle- „ ſiæ nomine magiſtratui præſentantur; vel e- „ tiam a miniſtris primo magiſtratui, deinde „ ab vtriſque ſimul eccleſiæ approbandi pro- „ ponuntur, vt eos legitima reddita ratione vel „ recipiat vel rejiciat: forma enim hujus rei „ varia poteſt adhiberi, modo eccleſiæ jus, mi- „ niſtrorum officium, vt etiam Magiſtratus au- „ thoritas ſalua maneat; proinde & alii agendi „ modi adhiberi poſſunt; nempe ſi Magiſtra- „ tus quempiam inveniat, cuius opera ad mini- „ ſterium eccleſiæ vti velit, vt eum primo tra- „ dat eccleſiæ miniſtris ex regula præſcripta „ probandum, vt deinde eccleſiæ eum pro- „ ponant & vice verſa, ſi eccleſia quendam „ in miniſtrum poſtularet, vt eum aliis eccle- „ ſiæ miniſtris tradat probandum, et Magiſtra- „ tui præſentandum ad vocationem: quam- „ quam inter has procedendi formas in electi- „ onibus ſeu vocationibus priores duæ optimæ „ tutiſſimæ & aptiſſimæ ſint, in coeteris tamen „ et horum ſimilibus, nulla magna diffi- „ cultas eſt facienda, fundamento electio- „ nis integro & ſalvo exiſtente ex enim va- „

ria

ria temporum, locorum, perſonarum, et re- „
rum conditione non ſolum poſſunt, ſed de- „
bent quandoque formæ et agendi rationes „
immutari, quia nempe ingens eſt deſcri- „
men inter loca et regiones in quibus reforma- „
tio cultus dei primo ſuſcipitur et vbi verus dei „
cultus nondum inſtitutus eſt; et inter loca „
vbi eccleſiæ reformatio recepta, Chriſtianæ „
eccleſiæ coetus erectus eſt, et purus Euange- „
lii cultus ſyncere adminiſtratur. Deinde in lo- „
cis vbi reformatio primo recipitur, multum „
intereſt an verbi Dei cognitio et profeſſio in- „
cipiat a ſolo Magiſtratu, vel a ſola eccleſia „
an ab utriſque ſimul quis enim non videt ex „
harum circumſtantiarum conditione voca- „
tionem miniſtrorum primitus vocandorum „
varie diſpenſandam eſſe? Hinc exiſtit quod „
quibuſdam in locis eccleſia lumine fidei primi- „
tus illuſtrata miniſtros verbi dei ex medio ele- „
gerit, vel ex alijs eccleſijs poſtulaverit & re- „
ceperit, qua privatim, qua publice, etiam cum „
vitæ periculo, abſque authoritate Magiſtra- „
tus, qui veritati erat adverſus. Item quod „
aliis in locis primo veritate illuſtratus Magi- „
ſtratus pius, muneris ſui peritus, & ſubdito- „
rum ſaluti invigilans, ſeductores removerit, „
fideles Paſtores quæſiverit, & eccleſijs civita- „
tum & vicorum præpoſuerit, etiam reniten- „
tibus ſubditis; & quod jam etiam in Refor- „

mati

Digitized by Google

mati Magiſtratus pagos paſtores orthodoxi „ mittantur, quamvis horum incolæ hetero- „ doxos mallent paſtores eligere. verum iis in „ locis vbi dei verbum receptum, & eccleſiæ „ miniſterium inſtitutum eſt, regulam ſcrip- „ turæ ſuperius enarratam ſemper valere ſeu „ locum habere oportet". Alia addit in hunc ſenſum quibus oſtendit illuſtris vir, quid ordinarie ex regula ſcripturæ fieri debeat, quid extra ordinem in malo extraordinario fieri poſſit.

Sequitur *Sibbrandus Lubbertus* qui hac de re ita diſſerit contra *Grotium* pag : 157. primum quæritur *quiſnam habeat ius & poteſtatem eligendi miniſtros eccleſiæ ? Reſpondeo breviter & perſpicue, hoc ius pertinere ad ipſam eccleſiam. hanc ſententiam probat authoritate verbi Dei, ſanctorum patrum ſummorum imperatorum, & conciliorum ecclicorum, hoc eſt vniverſali praxi Chriſtianæ eccleſiæ* multis deinde hanc theſin probat, alia contra patronatus iura diſputat, & de mandato Caroli magni Friſiis pro eccleſiarum libertate in paſtoribus vocandis dato diſſerit. Ad rem accedens ita inquit pag : 171. *ſi vero titulus in mandato Caroli proformula commiſſionis, accipitur, non derogat noſtræ ſententiæ, omnibus enim parochis qui ſunt in Friſia formulam commiſſionis, vel vt vulgo loquimus PLACET concedebat Carolus, & tamen eccleſiis libertatem*

eligendi

eligendi paſtores relinquebat, & nos ut jam ſæpe diximus, confirmationem miniſtrorum eccleſiæ ad Magiſtratum pertinere non negamus, neque de formuleitatibus cum quoquam contendere volumus. Scis ipſe eccleſias Belgicas, præſertim quæ ſunt in magnis urbibus, nam omnium exactam notitiam non habeo, neque puto te de omnibus ſolicitum eſſe non eligere miniſtrum, niſi re cum Magiſtratu communicata. Deinde nos vltro confitemur in Chriſtiana & libera republica ad concordiam & tranquillitatem conſervandam neceſſarium eſſe, vt eccleſiæ ſua relinquatur libertas, & Magiſtratui ſua vindicetur authoritas. Libertas eccleſiæ maxime in eo conſiſtit, vt eligat tales miniſtros, quales ipſa deſiderat. Magiſtratus vero authoritas poſtulat, vt illi quos eccleſia eligit, non admittantur niſi ab ipſo approbati. Tantum annoto Magiſtratum in hac approbatione ſive confirmatione non debere protervire neque quem eccleſia eligit, rejicere, niſi ob juſtam & evidentem cauſam.

Vltimo loco audiatur *Walæus*, qui poteſtatem deſcribens quam Magiſtratus pius habet in paſtorum vocatione & quomodo mundanam ſuam poteſtatem adhibere debeat, ad ſpiritualem hunc actum procurandum, ita inquit, loco a Clariſſimo, Viro citato; fa- „
tentur omnes plerique paſtores quod Magi- „
ſtratus ſupremus et eccleſiæ nutricius et in- „
ſtitutionum Chriſti cuſtos et vindex per „
ſe

se, vel per suos deputatos curare debeat „ vt ex ordine præscripto ecclesiastici, ipsis„ presentibus, seu sub eorum inspectione, eli-„ gantur. Quoniam enim vtriusque tabulæ le-„ gis custodes sunt, etiam quarti præcepti sunt „ vindices, ubi sabbathi sanctificatio, & exin-„ de ecclesiastici ministerii procuratio eis de-„ mandatur: non vt id spiritualibus ecclesiæ, „ ministris eripiant, sed vt mundanam suam„ potestatem spirituali adjungant, & curam „ suscipiant, ne spiritualis potestas in abusum„ abeat, sicut eam ecclesiæ ministri curam „ suscipere debent, ne externa potestate abuta-„ tur Magistratus in his. Hoc expresse Helmi-„ chius statuit fol. 10. hisce verbis, quoniã Magi-„ stratus ex prædictione Esaiæ nutricios eccle-„ siæ dei esse oportet, iisque defensio & custodia „ non tantum posterioris sed & prioris tabulæ „ legis iuncta sit; idemque a Deo vt ipsius mi-„ nistri sint constituti, vt quietam & tranquillã „ vitam traducamus in omni pietate & honestate, cum igitur hoc modo officio suo defunguntur „ tum electio & ordinatio pastorum absque eo-„ rum approbatione et authoritate fieri non de-„ bet, quoniã cura et ædificatio ecclesiæ eos etiam„ maxime tangit, cum eius non tantum spectata „ membra; sed etiam custodes et vindices sunt „ remanentibus interim pastorum examine, ali-„ isque directionis ministeriis in ecclesiastico-„

rum

rum poteſtate, vt antea demonſtratum eſt. „ Et paulo poſt; modus huius vocationis varie„ adhiberi poteſt, cu mmodo eccleſiæ ius, mi-„ niſtrorum eccleſiæ munus, Magiſtratuſque „ authoritas ſarta tecta maneat. Hæc ſunt „ Helmichii verba, quæ exinde latius explicat, „ quæque etiam verbo dei, & praxi primitivæ, &„ optimæ reformatæ eccleſiæ conſona iudica-„ mus. Quomodo vniuſcujuſque ius abſque „ vlla ατα&ξία integrum ſervari poſſit, optime in „ conſtitutionibus eccleſiaſticis diiudicari et „ determinari poteſt; circumſtantiæ enim hinc „ varietatem patiuntur, ſumma rei integra con-„ ſiſtente. Quemadmodum Helmichius hæc e-„ tiam latius explicat". Authores citatos a ſententia Cl. Viri diſſentire ex hiſce teſtimoniis pateſcere omnibus confido: quatenus vero cum noſtra ſententia conveniant vel ab ea diverſum eant, ex tota hac noſtra diſſertatione iudicabit prudens lector; nam hominum authoritate hac in cauſa pugnare non lubet, ſed rationibus theologicis in S. ſcriptura fundatis, et a doctiſſimis reformatæ eccleſiæ doctoribus prolatis, diſputo, vt oſtendam quid ſecundum dei verbum fieri debeat.

Pag. 34. pergit vir Cl. et fundamenta hujus juris formaliter vocandi paſtores, quod Magiſtratui tribuit exponens, ita inquit, *Comperit autem Magiſtratui ius vocandi miniſtros non ex*

ſtrevi

privilegio humano ſpeciatim pontificum, ſive „ eo quod ius patronatus vocant. ſive alio ali-„ quo ſimili privilegio ſed de jure divino, & „ quidem duplici nomine, tum ratione perſo-„ næ, tum præcipue ratione muneris, vt mox „ patebit, quemadmodum recte obſervat Cl:„ Rivetus pag. 267“. Eandem rem repetit pag. 38 hiſce verbis, confirmatur hæc propoſitio „ quoad prius membrum, quia ius vocationis „ paſtorum ad totam eccleſiam pertinet, ergo „ etiam & inſigniter ad Magiſtratum; tum qua-„ tenus eſt eccleſiæ membrum ratione perſonæ:„ cum enim jus illud toti eccleſiæ competit „ non poteſt excludi pius Magiſtratus; tum maxi-„ me ratione muneris, cum populi ſit caput. Hoc „ argumentum totidem verbis eſt Cl: Riveti „ pag: 267. poſterius membrum probatur ex „ eo quia Magiſtratus eſt cuſtos quarti pærcep-„ ti &c“.

Quoad fundamentum prius quod Magiſtratui jus vocandi paſtores convenit ratione perſonæ quatenus eſt eccleſiæ membrum, id concedimus: at ſimul aſſerimus, quod omne illud jus, illi cum omnibus fidelibus eſt commune; & quod ſit non particulare aliquod jus Magiſtratus, ſed jus membrorum eccleſiæ: nihil igitur ratione perſonæ in electione miniſtrorum præſtat in eccleſia conſtituta, quam id quod omnes fideles præſtant vel faciunt, aſ-

ſenſu

enſu nempe & ſuffragio electionem miniſtrorum vel obire vel comprobare & perficere, idque in communione fidelium, vna, ſimul, eodem loco, eadem authoritate & poteſtate, qua minima eccleſiæ membra, quæ jus ſuffragii & conſenſus habent. Non enim Magiſtratus ſuſcipimus cum Domino Walæo & Helmichio pro præcipuis eccleſiæ membris, niſi præcipuis ſpiritualibus donis ſint ornati. Nec etiam majus aliquod jus in electione paſtorum iis attribuimus, qui principaliora ſunt membra, præ aliis qui ſunt membra minus principalia, hanc enim diſtinctionem iuris, in praxi electionis apud Apoſtolos, non obſervamus, vbi indiſcriminatim idem ius fuit omnibus fidelibus eccleſiæ membris. induceret hoc in eccleſiam faſtuoſam confuſionem, contentionum fertilem, eccleſiæ conditioni & naturæ adverſam; ſi vnicuique ius minus vel magis principale, pro ratione donorum & conditionis magis, vel minus principalis, in eccleſia eſſet attribuendum. Diſtinguit Spiritus ſanctus inter eos, qui vt antiſtites eccleſiæ præſunt eamque regunt, & eos qui reguntur; illos eccleſiæ miniſtros & preſbyteros, hoſce omnes eccleſiæ membra ſtatuit; illis regimen & inſpectionem in eccleſiam attribuit, hoſce omnes eodem loco habet, vt qui omnes ſuis ductoribus obedi-

Digitized by Google

re & obsecundare debeat: illis præcipua cura & directio electionis attribuitur in praxi Apostolica, hisce vero commune suffragium & assensus.

Secundum vero fundamentum quod & præcipuum ex sententia Clarissimi Viri, & Magistratui competit ratione Muneris, cum populi sit caput, plane ut heterogeneum & alienum ab ecclesiastica electione pastorum, a nobis rejicitur. Omnia quidem politica quæ a Magistratu peraguntur etiam circa electionem pastorum, sicut & circa omnia exercitia ecclesiastica, huic fundamento innituntur; id est ratione muneris, quia populi est caput, ea peragit. Sed quod electio ecclesiastica, seu jus formaliter vocandi pastores, muneri seu dignitati politicæ innitatur, & quidem præcipue, id nos absurdum, et a natura rei alienum judicamus: quod probatur hisce argumentis.

I. Quod ratione muneris Magistratui competit, id omni Magistratui, Turcico heterodoxo infideli etiam competit: at jus formaliter vocandi pastores omni Magistratui non competit: *electio enim & ordinatio ministrorum ad ecclesiam pertinet, non ad τοὺς ἔξω qui alieni sunt a fidelium commercio, nondumque ad horum societatem conjunctionemque sese applicarunt; nusquam enim legimus in scriptura talium vota in ministrorum electionibus adhibita fuisse*, inquit *Gersomus Bucerus* differ-

dissertatione de gubernatione ecclesiæ pag. 323.

II. Ius illud quod ratione muneris Magistratui competit, in eo exequendo Magistratus dominio, architectonica, imperiali, coactiva potestate vti potest, et pro imperio in eo dominatur; atqui in electione pastorum formaliter peragenda, potestate imperiali, et Dominio, hominum nullus patribus suis defungi potest: peragitur enim liberis suffragiis quorum amplior et potior numerus aliis, legem figit. Magistratui igitur ratione muneris electio formaliter non competit.

III. Ius formaliter vocandi pastores est spirituale, formaliter ecclesiasticum, & tangit internam ecclesiæ constitutionem & regimen: hoc ex ratione & vi muneris politici educere, potestatis politicæ & ecclesiasticæ naturas confundit, & coelum terra miscet.

IIII. Omne jus quod magistratui ratione muneris competit de regno hujus mundi est, ita enim tota magistratus potestas a Christo nominatur Ioh. 18. jus formaliter vocandi ministros non pertinet ad regnum hujus mundi, sed ad spirituale Christi regnum: summum enim jus vocationis est penes Christum solum, qui est ecclesiæ caput, ministerii author, & dominus ministrorum; jus autem delegatum a Christo hominibus communicatur in administratione ecclesiæ ad ministerium cõstituendum.

V. Nullibi ius formaliter vocandi paſtores in munere Magiſtratus fundatur, in teſtimoniis, exemplis & praxi electionis miniſtrorum, tam in veteri quam in novo Teſtamento; ſed in Dei & Chriſti ordinatione: quæ eccleſiam ita inſtitutã & ordinatam reliquit, vt ſibi ſufficiens eſſet in ſeipſa ad procurandum ſibi miniſtros propria & inſita poteſtate, non extrinſecus adveniente.

Object: At populi eſt caput Magiſtratus. Reſp: negamus ratione muneris Magiſtratum eſſe populi, id eſt eccleſiæ caput; nullum enim eccleſia caput habet præter Chriſtum: eſt quidem populi caput prout ſocietatem politicam, ſed non quatenus eccleſiam, regnum Chriſti, & populum dei conſtituit: proinde in illa eminentia civili, quæ a ratione eccleſiæ dei & actus eccleſiaſtici diſſentanea eſt, ius illud in eccleſia Dei, et actibus eccleſiaſticis fundari non poteſt.

Pag. 34. aſſerit Vir. Cl. id etiam de Seniorum vocatione eſſe intelligendum, quod de paſtoribus dixit: & citat *Martyrem* in Cap. 8. libri primi Samuelis, quod ibi eo ſenſu dicat *Seniorum conſtitutionem eſse de jure a Magiſtratu.* Faciles id concedimus eadem poteſtate de iure Magiſtratum pollere in Seniorum vocatione, qua vtitur in electione miniſtrorum: at quoniam iam ſatis perſpicue oſtendimus Magiſtratui electionem paſtorum formaliter non competere ratione muneris: ſed id jus ſolummodo

modo ad eum pertinere cum, mẽbrum eſt eccleſiæ, quod omnibus aliis eccleſiæ membris competit: idem etiam ſtatuendum in electione Senoirum, quod poteſtas quæ omnibus eccleſiæ membris competit, etiam competat illi, qui Magiſtratus munere ſeu dignitate eſt ornatus, ſi eccleſiæ ſit membrum. Magiſtratus vero qua Magiſtratus ſeu ratione muneris obiective quidem verſatur poteſtate ſua politica circa electionem paſtorum & vocationem ſeniorum, formaliter vero nihil omnino agit. Nuſquam in toto capite ex *Maryrre* citato, teſtimonium *Martyris* a Cl. Viro allatum reperire potui. Ita vt hic vitium typographicum ſit oſtendendum vel fraus manifeſta agnoſcenda, qua efficta authori verba affinguntur.

Pag. 35. Dominus profeſſor ex *Walæo* affirmat jus hoc formaliter vocandi paſtores non tantum ad ſummos Magiſtratus pertinere; ſed etiam Magiſtratum ſubalternum „ ſeu inferiorem tanquam principale membrum cujuſque eccleſiæ in ea re agnoſcendum eſſe, quamvis lege ſpeciali ſummi Magiſtratus ad eam rem authoritatem non acceperit". Nos vero quid inferiori ſeu ſubalterno Magiſtratui conveniat, vel conveniat, circa vocationem paſtorum non diſcernimus, quidquid enim Magiſtratui ratione officii & muneris cõvenit circa eccleſia eſt, eſt politicum; & proinde

decernere quid in eo inferiori, quid superiori Magistratui competat, non est nostri fori & judicii: judicibus qui administrandæ iustitiæ præsident, incumbit ista provincia, non theologis. At vero jus formaliter vocandi pastores in ecclesia constituta & bene ordinata, quod ei convenit qui Magistratus dignitate & munere ornatus, ecclesiæ membrum, Magistratui convenit sive inferiori sive superiori (nihil enim id pertinet ad rem) illius civitatis & loci, cujus ecclesiæ minister vocandus debet inservire & cujus ecclesiæ Magistratus sive superior sive inferior membrum & pars est. Si enim quispiam Magistratus dignitate ornatus, huius civitatis vel loci ecclesiæ membrum existens, ius suffragii vel consensus formaliter vocandi pastorem habere & ferre velit, in ecclesia alterius civitatis pagi aut loci, cuius ecclesiæ membrum non est, in vitium incidit πολυπραγμοσύνης & ἀλοτριεπισκοπῆ, & huc respexisse *Cl. Walæus* semper mihi visus in testimonio à D. fratre citato, fundamentum enim suæ assertionis ponit id, quod membrum illius ecclesiæ sit Magistratus subalternus. Hoc etiam vult Testimonium *Leonis* a Domino *Walæo & Calvino* citatum. Ut vero pateat, quam parum *Leonis Episcopi Romani* testimonium conveniat cum Cl. Viri sententia; & quam optime consentiat et congruat, cum sententia a nobis

iam

iam expoſita et propugnata, explicationem eius ſubiicimus ex Cl. Domino *Franciſco Iunio* in librum de Clericis Cap. 7. Not. 30. 31. Vbi ita inquit. *Contra enim vel ex Tertulliani & Leonis verbis quæ huc afferuntur (ne abeamus longius) evincimus ad illud vſque tempus electionem Cleri & populi ſimul, id eſt conjunctam obtinuiſſe ex ſacrorum canonum authoritate, & primitivæ eccleſiæ Apoſtolorumque exemplis: quod recte Carolus magnus & Ludovicus pius obſervarunt diſt. 63. Cap. Sacrorum Canonum. Leonis verba diſputator non videtur aſſecutus, quatuor enim ſunt quæ diſtincte ponit Leo legitimæ administrationi eccleſiaſticæ præeuntia: vota civium id eſt, plebis, ut vocant, laicæ ſuffragia: teſtimonia populorum, id eſt aliorum qui foris extra eccleſiam habitant, hominem commendantium & conteſtantium pietatem ejus vitæque ſanctimoniam, ex precepto Pauli. 1. Tim. 3. honoratorum arbitrium, atteſtatio approbatioque magiſtratus & potentiorum, qui funguntur honoribus in loco & præſunt reipublicæ. Poſtremo autem Electio Clericorum, quam exploratis omnibus rebus antecedentibus, velut coronidem imponi oportebat prudento, pioque ſuffragio ipſorum, prout diſt. 63. Cap. quando & ſequentibus exponitur. Hæc Iunius.*

Pag. 36. 37. Oſtendit Cl. Vir Magiſtratui objectivam poteſtatem vocandi paſtores convenire, quam nos Magiſtratui ratione & vi ſui muneris & dignitatis convenire conſtanter

asserimus; & hujus potestatis exercitium & executionem a Magistratu pro imperio & dominio peragi concedimus; est enim jus supereminentis potestatis. Sed tota hujus rei controversia hic sita est, qua in re hæc objectiva Magistratus potestas vocandi ministros cõsistat, et quibus actibus ejus exercitium et executio peragatur. Nos ad determinandam hanc cõtroversiam judicamus in ecclesia constituta et recte ordita, ordinariam executionem hujus potestatis præcipue actionibus sequentibus compleri.

1. Quod Magistratus pius tanquam custos primæ tabulæ legis procuret, ut viri idonei per presbyterium accedente tum suo ipsius, tum totius ecclesiæ suffragio et consensu, ad munus pastorale legitime vocentur.

2. Vt curet ut omnia in electione & vocatione pastorum fiant recte, ex ordine divinitus sancito, & politice per reip. leges approbato: defensor enim est ecclesiæ & libertatis ipsius.

3. Cum abusus a particulari consistorio committuntur in electione, eos via ecclesiastica tolli & reformari procurat; idque hoc modo: quod sua potestate Classes Synodosque, quibus abusus ecclesiasticos a particulari ecclesia commissos corrigere ex jure divino incumbit, roboret, et si opus sit coactive assistat, ut refractarios censuræ ecclesiæ cedere nolentes in ordinem cogat. Pro hac potestate Magistratus asserenda rationes

tiones a Cl. D. Profeſſore allatæ p. 38. militant: formalem vero poteſtatem non evincunt.

Eandem poteſtatem nempe objectivam Magiſtratui etiam cum Cl. Viro aſcribimus circa ordinationem paſtorum: de qua reverendus D. Profeſſor poſt Cl. *Rivetum* & alios ita inquit; *conſtat Magiſtratus poteſtatem non verſari circa eam formaliter: verſatur tamen circa eam objective.* Nos hinc inferimus legitima conſequentia, Magiſtratum etiam non formaliter, ſed objective tantum verſari circa electionem paſtorum, quoniam non formaliter ſed objective verſatur tantum circa ordinationem. Rationes hanc conſequentiam ſtatuminantes hæ ſunt.

1. Quia electio & ordinatio ſunt partes integrantes vocationis eccleſiaſticæ: *neque in ſcripturis neque in patribus antiquis ulla vocatio ordinaria memoratur, quam illa quæ exurgit, quaſi totum, ex electione & ordinatione* inquit *Ameſius* de Cler: cap. 2. not. 12. Eodem igitur jure & poteſtate peraguntur,

2. Confirmatio eſt conſummatio & complementum electionis, & introductio in poſſeſſionem ejus juris, quod electione conceditur & communicatur; nam ut *Ameſius* in caſ. conſc. lib. 4. cap. 25. quæſt. 6. *ordinatio, inſtitutio, vel immiſſio nihil aliud eſt, quam electionis complementum & declaratio ſolennis, ut coronatio regis, aut inauguratio Magiſtratus; atq; adeo pro electione & voca-*

& vocatione metonymice ſolet vſurpari. Et in *Bellarm:* de Clericis; *ordinatio pendet ab electione, ſicut coronatio principis ab ejus electione aut ſucceſſione; ita ut jus confirmationis pendeat ab electione:* ex electione electus acquirit jus ad rem ut ex Azorio citavimus Cap. ſuperiori, ex eadem igitur exurgit integra cauſæ ratio propter quam introduci debet in poſſeſſionem rei: ex eadem igitur poteſtate & jure conferuntur.

III. Actus confirmationis non eſt alterius ſpeciei ab actu electionis, ſed ejuſdem eſt naturæ, jus electionis & jus ordinationis non ſunt ſeparata inſtitutione divina qui igitur ex jure divinitus collato formaliter verſatur circa electionem, formaliter etiam jus habet ordinationis.

IV. Ordinatio ſemper ſpectat ſuo jure ad eligentes, ad totam enim eccleſiam ſemper pertinet, quoad jus, vim, & virtutem illam, quam habet in miniſtro eccleſiæ conſtituendo, ſicut celebrario matrimonii vim aut virtutem omnem acceptam refert legitimo conſenſui coniugum, quamvis ritus ordinandi in eccleſia bene conſtituta pertineat ad preſbyteros. At in eccleſiæ ſtatu, miniſterio, & ordine deficiente vel collapſo, vel corrupto, a plebe etiam ritus ipſe ordinationis, quatenus neceſſarius eſt ad miniſtri conſtitutionem, in tali caſu, poteſt legitime exerceri ut contra Pontificios ſuſtinent

nent orthodoxi, vnde *Iunium & Ameſium* contra *Bellarm. Voetium* contra *Ianſenium*. Ex eodem igitur iure electio & ordinatio peraguntur: proinde cum ius ordinandi formaliter non pertineat ad Magiſtratum, etiam nec ius eligendi ſeu vocandi formaliter pertinet ad eundem.

Hactenus de ordinaria poteſtate Magiſtratus, quam habet in electione miniſtrorum; ſequitur iam extraordinaria ejus poteſtas quam exercet in caſu & malo extraordinario; de hac igitur ita Cl. vir differit pag. 39. Extraordinarie, verbi gratia quando diſſenſo circa electionem eſt inter perſonas eccleſiaſticas Magiſtratus aliquando plus authoritatis debet adhibere, tanquam conſervator eccleſiæ ait *Cl. Walæus*. Quemadmodum a *Theodoſio M.* factum, qui cum videret diſſentire Epiſcopos illius provinciæ inter ſe circa electionem Epiſcopi Conſtantinopolitani, nullius nominationem voluit ratam habere; ſed cum ipſi commendatus eſſet per Epiſcopum Anthiochenum Nectarius eum propoſuit imperator eccleſiaſticis, & cupere ſe eum Epiſcopum habere expoſuit. Reſiſtebant multi Epiſcopi, permanſit tamen imperator in ſua ſententia, tandem ceſſerunt ipſi omnes, & ſuffragio imperatoris ſuum etiam calculum vnanimi conſenſu addidere, quod exemplum etiam

etiam ex Sozomeno libro 7. cap. 8. refert Cl. *VValæus.*

De extraordinaria hac Magiſtratus poteſtate nos hæc ſentimus. 1. quod alia ſit generandæ primum eccleſiæ ratio, alia jam conſtitutæ et educatæ in Chriſto; diſpar eſt ratio, cum nulla eſt multitudo in unum corpus collecta, quod certe adhiberi poſſit in electione ſervorum Dei; et cum jam multitudo eſt vere credentium. *Extraordinarium eſt cum principia ponuntur eccleſiæ Dei; alia enim ſunt tempora eccleſiæ naſcentis, in generatione ipſius quid eſt extraordinarium, nec niſi per reductionem ut vocant in ordine cenſeri poteſt, alia natæ & conſtitutæ in ſtatu ordinario ſuo*, inquit *Iunius* de Cleric. lib. 1. Cap. 7. Not. 6. hinc Cardinalis *Cuſanus* lib. 2. de Concordia Catholica inquit, citante *Ameſio* in *Bellarminum, non concludi (ex eo quod Apoſtoli fecerunt erga infideles) eccleſiis aliquando fuiſſe proviſum ſine electione, quia tunc non fuerunt eccleſiæ, ſed miſſi fuerunt ad eccleſias ædificandas, & ideo electio locum habere non potuit, quia eccleſia eligens tunc defecit. Vnde illi miſſi gerentes figuram Chriſti ſecundi Adæ, ex coſta ſua ſcilicet verbi divini, ſibi Evam ædificarunt, quam deſponſarent; & ſic Evæ genitæ poſt hæc non dabatur niſi ſponſus deſideratus.* Quo in caſu concedunt Theologi quod hujus eccleſiæ membra ſive rectores, paſtores à ſe creatos mittere poſ-

ſunt

ſunt ad populos abſentes & infideles, idque jure charitatis & communionis Sanctorum. Nam populus infidelis ipſe non poteſt eligere, utpote nondum vocatus, ſed poſtea vocandus ad Chriſtum. Alia igitur eſt ratio inſtitutionis Epiſcoporum in cœtu jam collecto & eccleſia jam adunata: alia in epiſcopis miſſis ad colligendam eccleſiam ubi ante non fuerat.

II. Concedimus quod alia ſit ratio electionis in miniſterii conſervatione alia, in ejus reſtauratione & reformatione poſt generalem Apoſtaſiam: in malo illo extraordinario, vocationem paſtorum quandoque fieri extraordinariam, id eſt præter ordinem in eccleſia conſtitutum, et non abiis penes quos ordinaria eccleſiaſtica poteſtas reſidet, concedunt et propugnant Reformatorum multi contra Pontificios, de vocatione primorum Reformatorum: quid vero hoc in caſu Magiſtratus pius poſſit in vocatione miniſtrorum, non facile eſt in genere deſcribere; alio modo hic ſeſe res habet cum reformatio incipit a Magiſtro, quam cum incipit a populo, circumſtantiæ hic ſæpe jus variant: recte *Ameſius* in *Bellarminum* de Clericis Cap. 2. Not. 6. in hiſtoria N. T. „ exempla habemus conſtitutionis miniſt erii „ et ejuſdem etiam conſervationis, ſed non „ reſtaurationis eius aut reformationis „

poſt

poſt generalem Apoſtaſiam, omnia enim quæ„ pertinent adplebem fidelem (cui etiam an-„ numerandi Magiſtratus in eccleſia, in tali caſu„ non repreſentatur ibi certis exemplis".

Negamus tamen in eccleſia conſtituta et ordinata, ſi quando lites & contentiones de electione paſtorum inter miniſtros ſeu eccleſiaſticas perſonas incidunt, extraordinariam illam poteſtatem a Magiſtratu eſſe adhibendam. Quia tali caſu miniſterium & ordo eccleſiæ nondum defecit aut collapſus eſt, qui ſemper ſervari debet in eccleſia vbi exiſtet, ex regula 1. *Cor.* 14 *omnia decenter & ordine fiant.* Quia preſbyterii Claſſium & Synodorum authoritas, quæ ex jure divino in eccleſia a Chriſto eſt conſtituta, hac via & methodo ſecularis brachij proculcatur & opprimitur: cum tamen iis juxta ſcripturam competat diſpicere, cum diſſenſio aut contentio inter fratres oritur, quid factu opus ſit Act: 15.

Hinc igitur in hac Domini Profeſſoris diſſertatione reprehendimus, 1. Quod non exprimatur, quanta debeat eſſe diſſenſio inter perſonas eccleſiaſticas, cum Magiſtratus intenſivam illam authoritatem adhibeat: in eccleſia conſtituta & recte ordinata electiones paſtorum quandoque non abſque diſſenſione & contentione inter eccleſiaſticos peraguntur: an ideo ſtatim presbyterium & eccleſia

eleſia suo jure & poteſtate privaretur a Magiſtratu? Defendit, roborat, cumulat Magiſtratus pius eccleſiæ libertates & jura, ad ſe non rapit, etiam in caſu cum eccleſiaſtici a debito officio aliquantulum diſſenſionibus deflectunt

II. Quod nullæ in tali caſu claſſium, & ſynodorum partes, & actus agnoſuntur a D. Profeſſore; cum harum authoritas ex jure divino nobis ſit agnoſcenda, ut nuperrime Cl. *Voetius* doctiſſime demonſtravit, diſputationibus de Claſſibus & Synodis.

III. Quod nulli limites huic Magiſtratus authoritati ſtatuantur in caſu diſſenſionis miniſtrorum; ſed indeterminate voluntate & beneplacito Magiſtratus intenſio hujus poteſtatis relinquatur: quod certe non prudenti conſilio Theologico, ſed cum libertatis juris & ordinis eccleſiarum ſummo periculo hiſce iniquis temporibus fieri vident pii & dolent.

Nos vero ad determinandum caſum hunc eccleſiaſticum, quid Magiſtratus pius in caſu diſſenſionis inter eccleſiaſticos circa electionem paſtorum facere poſſit hæc ſuggerimus. 1. Cum diſſenſiones in particulari eccleſia circa electionem paſtorum oriuntur Claſſes & Synodi authoritatem et poteſtatem ſuam conferre et adhibere debent, ut eas in ordinem redigant

cenſura

censura et potestate spirituali, hoc illis incumbit jure divino.

II. Si totus Clerus sit irreformabilis, et contentiones eousque procedant, vt ecclesia pessum eat, Magistratus tum est curare vt syncera ecclesiæ pars, per se, vel per suos deputatos conveniat, et pastores eligat sub defensione et patrocinio suo. Ita in ecclesiarum reformatione factitatum, vnde et pastorum in prima reformatione electio, utl egitima defenditur a nostris ex hoc fundamento, quia ab ecclesia Christi, quæ reformationem spirabat, peracta et approbata est, nunquam vero quod a Magistratu in casu dissensionis extraordinaria potestate procurata sit.

III. Omnem extraordinariam potestatem Magistratus, illo in casu, hoc modo, et in hunc finem, adhibendam esse assero, non ut electionem ipse perficiat, sed vt ecclesiæ pacem et quietem conservet, et ut electio legitime via ecclesiastica ab ipsa ecclesia peragatur, cui ea competit. hoc etiam *Cl. Walæum* velle loco a Reverendo D. fatre citato, et exemplo *Theodosii Magni* probari secundum *Walæi* explicationem, patet ex verbis ejus quæ subjicio, ex authenticæ Belgicæ nempe Editionis pag. 171. 172. Ita enim incipit. *Primitivæ ecclesiæ exempla, postquam Imperatores sacris Christianis initiati fuerunt, hunc in finem afferuntur, ut probent*

bent Magiſtratum etiam ſuas partes habere, cum vera Chriſtiananiſmi membra ſunt, in paſtorum electionibus, quodque eæ ſub eorum inſpectione ſint inſtituendæ, tum id ſolummodo probant, quod jam confeſſi ſumus; quodque Acronius in Friſia, Helmichius in Hollandia fieri teſtantur, Conſtitutiones eccleſiaſticæ decernunt; ſed ſi proferantur, ut probent abſolutam quandam poteſtatem, nullis aliorum ſuffragiis aſtrictam, pugnant tum hæc exempla cum legibus & canonibus expreſſis Concilii Niceni & Conſtantinopolitani cum aſſenſu ſeu ſub inſpectione piorum Imperatorum Conſtantini & Theodoſii decretis; repugnant etiam ordini a Chriſto ſancito, & iis quæ Wttenbogardus in ſcripto poſteriori faſſus eſt fieri oportere: exempla legibus & juri contraria, in imitationem trahi non debent nec poſſunt, niſi magna cum injuria & confuſione. Attamen exempla Imperatorum cum extraordinaria vſi ſunt poteſtatem pauca ſunt & rariora, & certus circumſtantiis veſtita, cum nempe inter perſonas eccleſiaſticas vel in eccleſia, quæ ordinarie vocationem peragebat, contentiones erant, quo in caſu Magiſtratus plus aliquid authoritatis adhibere debet, ut cuſtos pacis; & eccleſiarum Epiſcopi ſuffragia ſua addiderunt, ante quam res potuerit peragi; & nunquam unicum imperatoris votum aliquem legitime in primitiva eccleſia Epiſcopum conſtituit, multo minus alicujus inferioris ſeu ſubalterni Magiſtratus ſuffragium. Exemplum Theodoſii Cæſaris quod a Domi-

no VVtenbogardo *primo proponitur, confirmat id quod dicimus. Etenim quoniam Constantinopolitanus Episcopus in ea civitate erat Metropolitanus, in qua Imperator Aulam & Thronum suum constituerat, ideo ejus Episcopi electio absque imperatoris assensu rata non erat, et etiam nunquam legitime peracta est, nisi sub cura & inspectione aliorum Episcoporum, & ecclesiarum gubernatorum ejusdem dioeceseos.* Verba Zozomeni *quæ* VVtenbog. *omittit aperta sunt, ob dissensionem inter Episcopos ejus provinciæ visum est imperatori, ut nullus ex eorum numero Episcopus Constantinopolitanus crearetur; ideo Nectarii nominatio simul & aliorum quorundam ad episcopatum idoneorum, Imperatori oblata est ab episcopo Antiocheno. Imperatoris animus Nectario addictus, & ita res inspectoribus illius ecclesiæ, & totius diœceseos Episcopis delata est. Sed an electio per solum Imperatorem peracta? minime, sed per episcoporum Synodum, qui in Imperatoris suffragium collatione institutia pedibus iverunt. Zozomeni* verba ita sese habent: *facta autem hæc sunt non nisi providentia divina, cum & Imperator, postquam baptismatis eum expertem intellexisset, in eadem sententia persisterit, multis sacerdotibus reluctantibus. Postquam igitur omnes cesserunt, & in Imperatoris calculum concesserunt, baptisatus fuit, & sacri baptismatis convenienti habitu etiamnum indutus, communi suffragio Constantinopolis episcopus declaratus est. Communi igitur suffragio totius Synodi*

nodi Nectarius Episcopus creatus est, quamvis secundum votum Imperatoris ejusque postulationem, quæ plurimum semper ad electionem contulit, non tamen ex ejus mandato & lege, ut VVttenbogardus loquitur. Verbum ἔδοξε *quod in hoc & aliis exemplis usurpatur, non absolutam denotat potestatem, sed Imperatoris votum, quod Sozomenus* τὴν ψῆφον *suffragium imperatoris vocat; quod verbum, etiam postea de tota Episcoporum Synodo usurpatur* κοινῇ ψήφῳ τῆς Συνόδου ἀναγορεύεται ἐπίσκοπος *id est communi Synodi suffragio declaratus est episcopus; ipsa declaratio quam Synodus Constantinopolitana Theodor.* lib. 5. cap. 9. *ad Concilium Romanum eodem tempore celebratum hac de re scripsit, extra omnem dubitationis aleam rem hanc exponit. Ecclesiæ Constantinopolitanæ Reverendissimum & Dei amantissimum Nectarium episcopum proposuimus in generali nostro concilio, præsente amantissimo Dei Imperatore Theodosio, cum omnium clericorum ac totius civitatis approbatione.*

In responsione ad quæsita ad hanc quæstionem, præcipue circa finem pag. 45. videtur Vir Cl. sententiam hanc duram & erroneam, quam hactenus in examine hujus quæstionis exagitavimus, aliquantulum emolire velle; & Magistratui solummodo suffragium cum pastoribus & reliqua ecclesia tribuere. Si vero Dominus Frater hoc tantum Magistratus jus sartum tectum conservari velit, ut habeat assensum vel suf-

fragium commune pius Magiſtratus, eccleſiæ membrum, cum reliquis eccleſiæ membris, & cum paſtoribus, quatenus ſunt membra eccleſiæ, ὁμοψηφίας dextras ex animo conjungimus; ſi vero Magiſtratui ſuffragii jus aut poteſtatem aliam in vocatione paſtorum tribuat; non ratione perſonæ quatenus eſt eccleſiæ membrum, ſed ratione muneris, quia populi eſt caput; ex qua ad Magiſtratum pertineat formaliter jus vocandi paſtores; probationes theologicas ex divino jure deſideramus: ſimplices enim aſſertiones Cl. Viri fidem nobis nonfaciunt hac in re.

CAP. III.

De Synodis & authoritate Magiſtratus circa eaſdem.

ECcleſia viſibilis vel inſtituta particularis diſtincte conſideratur, vel in ſe; vel in ordine ad alias eccleſias collaterales; Hinc nonnulli deſtingunt eccleſiam inſtitutam, in *Primam* & in *ortam*, *Parkerus* de politia Eccleſiaſtica libro 3. paſſim. ut illa ſit collectio plurium membrorum in unam congregationem: iſta collectio vel combinatio plurium eccleſiarum in vnum coetum ſeu Synodum.

Membra igitur quæ Synodum conſtituunt ſunt

ſunt eccleſiæ inſtitutæ parochiales; quæ in ſeſe integræ,& inter ſe collaterales,& poteſtate eccleſiaſtica æquales, conveniunt in Synonodum, ut confœderati, collegæ, & membra: Ita vt vnio illa Synodica conſtituatur per ipſas eccleſias particulares, certo ordine collectas & colligatas, quarum totidem ſunt primæ & radicales eccleſiaſticæ poteſtates ordine & vinculo aliquo aggregatæ & comportatæ in ſocialem & communem quaſi poteſtatem. Quemadmodum Chriſtus contulit poteſtatem collateralem æqualiter ſingulis ſanctis, ſeu membris, in corpore eccleſiaſtico; & ſingulis miniſtris ſeu ſeniobus in coetu preſbyterii. Ita & ſingulis eccleſiis particularibus in Claſſibus & Synodis.

Hinc hæc collectitiva plurium parochialium eccleſiarum poteſtas non eſt eccleſiæ particulari extrinſeca, aut ab ea, ejuſque intrinſeca Poteſtate divulſa & ſeparata; ſed quæque eccleſiæ particulares in Synodis & Claſſibus poteſtatem ſuam in commune conferunt aſſociant & exercent, & proinde eccleſia particularis, ſeorſim & in ſuo conventu conſiderata, & ſic regimen exercens; non differt eſſentialiter & intrinſece a ſeipſa, in vnione cum aliis eccleſiis conſiderata, eadem ſua poteſtate regimen vbi exercente. Actus igitur

Digitized by Google

igitur & poteſtates ſingularum eccleſiarum, cum mutui earum reſpectus inter ſe conferuntur, non opponuntur, ſed potius componuntur, & coordinantur: haud aliter ac æqualia membra collegii alicujus politici aut eccleſiaſtici aut ſcholaſtici, aut etiam partes integrales corporis humani. Quamvis toti compoſito ſeu collectivo, ex omnium partium combinatione exurgenti, ſingulæ partes ſuo modo ſubordinari, ſeu propter illud eſſe, atque ad illud referri & ordinari, dici poſſint, ejuſque univerſale bonum præferendum ſit bono particulari cuiuſque partis, hoc ſimili a Paulo explicatur hæc res 1 Cor. 12.

Synodorum igitur poteſtas & authoritas eſt in eccleſiis particularilus originaliter, executive autem ſeu quoad ordinarium exercitium in Synodis, quomodo de populo & preſbyterio deſtingui ſolet in regimine particularis eccleſiæ.

Synodus eſt conventus publicus de communi eccleſiarum conſenſu indictus, in quo viri pii & eruditi, rite vocati & delegati cauſas eccleſiaſticas cognoſcunt, & ex verbo Dei pro poteſtate eccleſiæ a Deo conceſſa definiunt, ut hæreſes & ſchiſmata & aliæ confuſiones, vel caveantur vel curentur. Conventus hic vel maior vel minor eſt: minor, quæ unius ditionis eſt *Claſſis* dicitur ſeu *Diœceſiana*

Synodus

Synodus, maior proprie *Concilium* ſeu *Synodus* vocatur: quæ rurſus vel *Provincialis* vel *Nationalis*, vel *Generalis*, vel *Oecumenica* ſeu *Univerſalis* dicitur.

Fundamentum huius combinationis & unionis eccleſiarum eſt ius divinum præceptis Dei & exemplo Apoſtolico declaratum Math. 18. 19. 20. Act. 15. Quodque omnes eccleſiæ ſequi tenẽtur cum nempe poteſtas huius vnionis cum aliis eccleſiis divina providentia eis conceditur, ex debito mutuæ ſocietatis colendæ, neceſſitate præcepti, hypothetica, ad bene ſeu ad melius: eſſe quemadmodum illi qui occaſionem habent adiungendi ſeſe eccleſiæ particulari & eam negligunt, graviſſime peccant non tantum in Deum ratione inſtitutionis, ſed etiam in ſuas proprias animas ratione benedictionis adiunctæ. Ita eccleſiæ particulares, ut earum communio poſtulat, naturæ lunem, æquitas regularum, et exemplorum ſcripturæ docent, poſſunt et debent confœderationem aut conſociationem mutuam inter ſe inire in claſſibus & Synodis, ut communi conſenſu et conſilio mutuo utantur, quantum commode fieri poteſt, in iis præſertim quæ ſunt maioris momenti: *Ameſius* in medulla lib. 1. Cap. 39. theſi 27. Theſin hanc de iure divino Synodorum demonſtravit nuperrime doctiſſime *Clariſſimus Voetius*

contra Theol. nonnullos qui ſummitatem & independentiam abſolutam ſub Chriſto, miniſterialem ſcilicet, in quocunque regimine eccleſiaſtico tribuunt, omnibus eccleſiis parochialibus.

Indictionis & convocationis Synodorum jus eſt penes eccleſiam eccleſiæ quemembra, & eos præcipue quibus eccleſiæ regimen eſt commiſſum. *Richardus Fieldus* Anglus eruditiſſimus de eccleſia lib. 5. pagina 407. aſſerit "in eccleſia eſſe poteſtatem cogendi concilia & deliberandi de iis quæ ad eccleſiæ commodum & ſalutem ſpectant, etſi non faveant principes mundani, neque auxiliatricem dextram porrigant." Nos vero hæc axiomata de indictione Synodorum certa exiſtimamus.

I. Quod commiſſio hujus poteſtatis tradita ſit eccleſiæ à Chriſto; proinde quod eccleſia illam poteſtatem habeat, eamque exercere poſſit in nomine Chriſti. Si duo ex vobis conſenſerint: item, ubi duo aut tres coacti fuerint in nomime meo, inquit Chriſtus, ibi ero in medio ipſorum" Matthæi 18. 19. 20. Ex his verbis colligunt Reformati Synodorum authoritatem, argumentando a minore ad majus. Convenire in unum cœtum, in nomine Chriſti ad pia exercitia, eſt actus eccleſiaſticus & ſanctus; proinde cœtus piorum ſub Veteri Teſtamento ſæpius dicitur convo-

convocatio sancta; potestas actus ecclesiastici sive ordinarii sive extraordinarii commissa est a Christo ecclesiæ ejusque ministris.

II. Quod tamen non temere tentandum sit ecclesiæ exercitium potestatis collatæ inconsulto Magistratu, vel absque legum authoritate, in hunc scopum recte *Junius* in controver. 4. l. 1. c. 12. not. 4. *congregare sive in fieri, sive in factum esse acceperis, ut cum Scholasticis loquamur, proprie & per se opus est humani ordinis: congregare vero in nomine Christi opus est humani ordinis in re ecclesiastica. Itaque si Magistratus deest, agnoscimus juste ecclesiam congregare citra cognitionem aut operam Magistratus: sin autem consentiens atque conjunctus est, injuste & periculose ab ecclesia tentari & institui generalem congregationem sine cognitione & authoritate ejus, qui humano ordini præest.* Sed hic ut idem author not. 22. *alia ratio ordinariorum est conciliorum provincialium, alia eorum quæ extra ordinem ob schisma ecclesiæ indicuntur.* & not. 20. *potest Magistratus indicere concilia, nempe provincialia, si res ecclesiæ desiderare videbitur. Sed aliud est ordinarium concilii habendi statutum in ecclesia esse lege ordinaria, quam Magistratus approbavit; aliud extra ordinem indicere ecclesiæ causa*, consilia autem generalia, non sunt ordinaria, sed extra ordinem indicuntur, quia ferme ecclesia causa in doctrina

mori-

moribus & disciplina errantium haberi solent: ergo a Magistratu indici necesse est in illo ecclesiæ intus laborantis malo. Adjungimus rationem ab aliis authoribus allatam, quia sive congenerationem concilii haberi placeat, sive in ea consultari & decidi, sive ex eius definitionibus exequi, coactiva (ut vocant) authoritate opus est ad ista omnia præstanda; atque nullo jure ad ecclesiasticos pertinet coactiva authoritas, cum eorum non sit imperium sed ministerium: sed princeps, penes quem reipublicæ τὸ κύριος ac summum imperium est, Synodalium decretorum temeratores legum civilium poenis vindicare potest. *Clarissimus Voetius* hæc adjungit, *Vt aperte publice conveniant Synodi absque præhabito Magistratus consensu nec ecclesiasticæ nec politicæ prudentiæ esse arbitramur, nullus enim ex omnibus regni aut provinciæ partibus ullorum hominum, imprimis inspectorum ecclesiæ, confluxus & conventus esse debet, absque potestatis politicæ conscientia & consensu, est enim ecclesia in republica. quod idem æque sentiendum de conventibus separatis, qui tolerantia tantum gaudent, ac de ecclesiis quæ publicam approbationem & sustentationem habent a Magistratu.* Statuimus id æque itidem de Magistratu infideli ac fideli.

III. Dico tamen quod authoritas cogendi Synodos ejusque exercitium absolute & simpliciter

ter non pendeat a principum potestate aut Christiano Magistratu. Proinde si rogatus Magistratus, præfractus tamen maneat, animumque & aures obfirmaverit, in casu necessitatis non cessabit ecclesia. Data enim est ei a Christo potestas convocandi Synodos, & ea potestate privari non potest si potestas, etiam potestatis exercitium. Commissio potestatis est a Christo, permissio a principe: collatio potestatis a Christo traditæ non tollitur accessione Magistratus Christiani. deinde non debet deterior esse ecclesiæ conditio sub Christiano Magistratu quam sub ethnico; nec minui sed augeri libertas ecclesiastica, potestas principis est cumulativa non privativa. Potest igitur ipse convocare, potest potestatem collatam ecclesiæ approbare, sed potestate collata ejusque exercitio privare non potest. Pars quædam est muneris ecclesiastici in ecclesiæ regimine Synodorum celebratio, ejusque exercitium multis in casibus necessarium & salutare est ad ecclesiæ ædificationem: partem vero ecclesiastici muneris absolute a Magistratu Christiano dependere nusquam ex scriptura dedicimus. Cum grassantur hæreses, multiplicantur lites, populum Christianum schismata & factiones discindunt, ecclesia schismatum, errorum, scelerum fluctibus prope obruta videtur,

&

& pertinaciter negaverit Magistratus assensum, non cunctandum est, non cessandum ab officio nostro, & cum periculo periclitandum est remedium per Synodum. Non defendimus,,, inquit *Spalatensis* de republica Ecclesiast. libro. 5. Cap. 5. Num. 89. Ita hoc jus convocandi,, concilia ad Principes pertinere, vt nullo mo-,, do possint prælati ecclesiastici vel mutuo con-,, sensu in unum convenire, vel metropolitani,,, primatis, aut patriarchæ authoritate convocari"" Quod addit ex causa suspicionis posse impedire, ne coeant, ipsis inconsultis, *admittimus* inquit Calderwoodus. Consulantur suspicione soli-,, citi, metu suspensi, expurgentur omnes suspi-,, cionis latebræ, mittantur legati, aut Coricæi,, alioqui facillimum erit causas fingere". Certe Ratio ipsa suadet", inquit ibidem Spalaten-,, sis, indictionem & convocationem, nihil aut,, addere aut demere authoritatis ipsis conciliis,, quia etiamsi casu convenirent in vnum multi,, Episcopi, seu aliqua occasione absque in-,, tentione concilii, quid prohibet, quo minus,, res etiam ecclestasticas tractare possint & de-,, finire. Vbicunque enim Duo vel tres fue-,, rint in nomine Christi congregati, Non di-,, cit convocati, in medio eorum est ipse Chri-,, stus. In nomine vero Christi dicuntur congregati, qui ad ea quæ sunt Christi tractanda convenerunt. Et Appositè *Amesius* ad hoc *Spalaten-*

Latenſis argumentum illuſtrandum inquit falſum eſſe congregationem in nomine Chriſti „ pendere ſemper ab authoritate hujus aut il- „ lius hominis ſub Chriſto; duobus enim vel „ tribus ex conſenſu tribuitur facultas ſeſe hoc „ modo congregandi, ſine alterius cujuſquam „ hominis authoritate Math. 19. 20". In *Bell.* de Concil. Cap. 1. Not. 1. ad eſſentiam Synodi conſtituendam non requiritur ſuperioris convocantis authoritas adjungamus ad argumenta ſuperiora roboranda judicium Cl. Profeſſoris *Voetii*, qui hæc diſquirit in tractatu de eccleſiaſtica poteſtate: An Magiſtratus faciat' „ Synodum eccleſiaſticam ſive in totam ſive ex „ ex parte? *Reſp.* Neg. Non magis quam eccle- „ ſia aut paſtores faciunt curiam, ſeu conven- „ tum politicum. Vide exemplar Synodi act. „ 15. confer concilium Ancyranum & Neo „ cæſarienſe Anno 314. An ergo abſque Magi- „ ſtratus conſenſu Synodi eccleſiaſticæ haberi „ poſſent, & an convocatio & indictio Magi- „ ſtratus ſit de earum eſſentia. *Reſp.* de con- „ ciliis oecumenicis, aut admodum genera- „ libus ex variis regnis aut nationibus, non „ eſt quærendum, nec multum de iis hic la- „ borandum: quia impoſſibile eſt, vt illa „ abſque Magiſtratuum conſenſu conveniant, „ Nec etiam fas eſt ſubditos in caſu belli, inter „ illa regna, vltro citroque commeare. De „

Na-

nationalibus quamvis magna difficultas ſit, „ non tamen ſimpliciter denegari poteſt. Aut „ enim clanculum conveniunt, uti in Gallia „ olim factum, aut in alieno, non tamen ho- „ ſtili, territorio, quomodo noſtri primam Sy- „ nodum nationalem Belgicam celebrarunt „ Veſaliæ Anno 1568. Et deinde Embdæ An. „ 1571. Sed ut aperte & publice conveniant „ abſque præhabito Magiſtratus conſenſu, ſive „ tolerantiæ, ſive approbationis, nec eccleſiaſti- „ cæ nec politicæ prudentiæ eſſe arbitramur. " Item alio loco iiſdem in theſibus quærit " an eccleſiæ conveniat Synodorum indictio & „ convocatio, an vero Magiſtratui. Reſp. pri- „ mo, per ſe, & intrinſece eccleſiæ convenit, „ Magiſtratui vero convenit conſenſus; nonqui- „ dem per ſe, ſed per accidens, externi ſcilicet „ hominis cum ſuis circumſtantiis, & relate ad „ politiam in qua eſt eccleſia. Ratio communis „ hæc eſt, quia docet natura nullum conflu- „ xum hominum ex variis regni aut nationis „ provinciis abſque conſcientia Magiſtratus „ palam fieri poſſe: nedum ex variis regnis & „ nationibus. Ipſius enim ſcire intereſt, qui, qua- „ les, & cur conveniant. Haud aliter ac con- „ ſenſus primo & intrinſece fundamentum eſt „ ut conveniant mas & fœmina ad cohabitatio- „ nem conjugalem; quamvis ſine conſenſu „ Magiſtratus convenire non poſſint. Et hoc „ eſt quod

est quod nostri volunt, dum Papæ convocationem abjudicantes, Magistratui adjudicant. Præterquam quod imprimis hoc intelligi debeat de Concilio generali in Imperio Romano aut Occidentali. Alioquin multas Synodos tum clanculum tum etiam palam absque convocatione Magistratus conveniisse certum est. Vide controversiam de conciliis; ubi inprimis notanda Novell: 123. & exemplum Valentiniani apud Sozomen. lib. 6. cap. 7. Quidquid enim excipitur, nihil manet, quam absque tacito aut expresso consensu Magistratus palam vix conveniisse: quod nos facile concedimus. Alioqui primum concilium & omnium aliorum exemplar Act 15. Et sic Ancyranum, aliaq; memorata à Magistratu convocata non sunt; ne quidem exsertum habuerunt consensum." Concludimus igitur quod in Synodis convocandis diversæ quidem sunt potestates ecclesiæ & Magistratus, non tamen divisæ; nisi quando Magistratus se diviserit ab ecclesia. *Sed, quod hæc cum Magistratus se dividit ab ecclesia, non fuerit illa ratio, qua Constantinus ecclesias fovebat olim, sed qua Licinius & alii easdem evertere studebant*, ut asserit Cl. *Caldervvood* Altar. Damasc. pag. 15.

4. Assero Principem posse Synodos convocare maxime, si ordo ecclesiasticus hic cessator fuerit aut contra officium faciat. Nam ut defi-

cien

cien Magiſtratus, eccleſia aliquid poteſt extra ordinem facere, quod ordinarie facere non poſſet: ſic contra deficiente eccleſia ab officio ſuo, poteſt Maigſtratus extra ordinem procurare, ut eccleſia ad officium redeat: Hoc eſt eo caſu extra ordinem contingente, hi & illi extra ordinem aliquid poſſunt, quod ordinarie non poſſent. Id enim juris communis eſt, extraordinariis malis, „ remedia etiam extra ordinem adhiberi opor- „ tere". Inquit *Iunius* controverſi. 4. libro. 1. Capite 12. Not. 18. ſic *Ezechias* & *Ioſias* ſuos paſtores & ſacerdotes congregabant olim; & nulla eſt cauſa ob quam Chriſtianis principibus idem non liceat in ſuos Paſtores. Hinc quærit Cl. *Voetius an Magiſtratus invitos eccleſiaſticos in concilium cogere poſſit. Reſp. Non video cur non ſit affirmandum; ſiquidem neceſſitas eccleſiæ id poſtulet, & factio malignantium clericorum in tantum perturbaverit eccleſiam, ut amplius nec mala ſua nec remedia ferre poſſit. Imprimis etiam ſi propter inteſtinas contentiones Clerici Synodos refugiant: eſt enim conciliorum ſi legitime congregentur, & libere haberi poſſint, ſalubris authoritas. Quod eventus contrarium non raro docuerit, totum eſt per accidens; & abuſui hominum non ordini divinitus conceſſo imputandum, nihil enim tam juſtum tam divinum tam utile eſt, quo hominum malitia non abutatur. Quibus non compulſoriis*

pulsoriis Papam & Ecclesiasticos pro habendis Conciliis, ad ecclesiarum in Occidente reformationem urserint Imperatores & Principes Christiani, docent Historiæ imprimis duorum proxime præcedentium seculorum. Vide Plessæi mysterium iniquitatis collatum cum Historia Guicciardini & Thuani.

Hanc dissertationem de potestate convocationis Synodorum concludimus sententia Clarissim. Domin. Professorum *Leydensium* in Synopsi Theologiæ disp. 49. Thes. 17. &c. quorum nomine ibi ita differit Clarissim. *Thysius* μακαρίτης. Indictionis & convocationis jus & authoritas est penes ecclesiam, ecclesiæque „ membra (nullum enim jus in regimine ec- „ clesiæ habet, qui de ecclesia non fuerit) & „ quidem ecclesiasticum consessum cui ecclesiæ „ regimen commissum est. Ita ab initio in ar- „ duo aliquo in ecclesia exorto negotio, maxi- „ me de religione ejusque per falsam senten- „ tiam seu hæresin violatione, Episcopi et „ presbyteri proximi, aliquo præeunte, aut „ sese mutuo admonentibus, sponte convenie- „ bant, ut docet Synodus Apostolica Hiero- „ solymitana Act. 15. 2. et & 5. & 22. 18. „ Ephesina Actorum 20. 17. Sic Anthioche- „ na tempore Aureliani Cæsaris, in qua „ Paulo Samosateno Episcopo Antiocheno „ contendente Christum esse nudum homi- „

nem, convocationibus ejus ecclesiæ Presbyteris, „
Episcopi vicini in Synodum coeuntes, eum „
ut contumacem hæreticum condemnaverunt „
& ecclesia moverunt Euseb. lib. 7. Hist. Ec- „
clesiast. Ita complures aliæ Synodi, maxime „
provinciales etiam sub Christianis principi- „
bus convenerunt. Episcoporum est itaque „
imprimis Synodos indicere, nulli autem id jus „
erat privatum. Vnde præsumptuose & ini- „
que Romanus pontifex, quasi in ecclesia „
Imperator quidam, indicendæ Synodi, Ma- „
xime universalis, privilegium & partes sibi „
soli arrogat, cum tamen Petro, cujus se suc- „
cessorem iactitat, hic nulla singularis præro- „
gativa assignetur; sed Apostoli & presbiteri, „
referentibus controversiam & ad eos deferen- „
tibus *Paulo* & *Barnaba*, ab ecclesia ablegatis, „
congregati dicantur, ut despicerent de hoc ne- „
gotio Act. 15.2.6. Magistratui vero si toleret „
ecclesiam, eamq; cum omni suo ordine & regi- „
mine permittat esse publicam, aut decreto ut „
talis sit sanciat, esse possunt quoque hic suæ „
partes, & ejus consensus & authoritas deposci. „
Cum enim status & ordinis publice stabiliti, „
actionumque publicarum sit curator & defen- „
sor, etiam ecclesiæ hactenus censendus est: „
Imo temporis loci aliarumque circumstan- „
tiarum non modo approbator, sed & desig- „
nator, si vsus ita ferat, esse potest. Multo „
magis „

magis, si Christianus & orthodoxus sit, hoc,, ei competit, nempe ut eximio ecclesiæ Christi,, membro, & in eminentia posito, cui acce-,, dit secundum vocationem hujus mundi, ju-,, risdictio & imperium, atque coactiva ex-,, terna potentia (qua hic sæpe opus est) Imo,, moderatio locomotivæ ad publicum con-,, ventum: quam pietatis lege, utpote nu-,, tricius & alumnus ecclesiæ Esa. 60. 16. con-,, ferre tenetur ad vtriusque tabulæ defensio-,, nem; vtque Christus in subditis suis spiri-,, tualiter regnet Psal. 2. 10. ergo ipsius con-,, sensus authoritas & auxilium, & securitatis,, præstatio, hic expeti debet: neque ipse se-,, cundum pietatis officium ea denegare; sed lu-,, bens volensque impendere ac præstare eccle-,, siæ tenetur. Quin imo Magistratus supe-,, riores, ut sunt reges & principes, habenda-,, rum Synodorum nonnunquam fuisse autho-,, res, ipsorumque jussu coiisse, illustria exem-,, pla piorum regum in V. T. *Davidis* 1. Chron.,, 19. 1. 2. *Solomonis* 2. Chron. 5. 2. *Asæ*,, 2. Chron. 15. 9. *Ezechiæ* 2. Chron. 29. 4.,, *& Iosiæ* 2. Chron. 39. 29. Item *Achab* &,, *Iehosaphati*, qui convocabant circiter qua-,, dringentos Prophetas 1. Regum 22.,, 6. 8. *Herodis* Math. 2. 3. edocent: quos a mulati,, sunt imperatores & reges Christiani, qui non,, modo αὐτοκρατικὰς universales (quarum singularis

bet, quo præsentibus & urgentibus malis, „ si fieri & qua fieri potest ratione quam o-„ cyssime occurratur.“ Huc usque Professores Leydenses.

Adjungo quæsitum, quod Doctores Reformati Pontificiis objiciunt, qui Romano Pontifici potestatem convocandi Synodos ascribunt; ut manifestæ absurditatis assentatoriam theologiam convincat: & mutato nomine ad rem applicetur. Quid fiet si concilium sit necessarium ecclesiæ, & tamen Papa nolit illud indicere? Respondet *Bellarminus, istiusmodi casus vix est possibilis: non enim credibile est ullum Pontificem fore tam malum: si esset Deus vel mutaret mentem ejus, vel eum de medio tolleret.* Regerit ad hæc *Amesius, non tam credibile quam palpabile jam est, Pontifici Romano ab aliquot saculis non minus odiosum & formidabile esse concilium liberum, quam est maleficis severi judicis tribunal. Communis est sensus & sententia omnium Paparum, quod Clemens* VII. *solitus erat dicere: Concilium eousque esse utile, quoad de authoritate Pontificis agatur, ea vero in quæstionem vocata, nihil esse periculosius, atque adeo unicum esse præsidium Concilia vitare ac declinare. Historia Concilii Tridentini. quis nobis hoc præstiterit, Deum in tali casu vel mutaturum Papæ mentem, vel eum e medio ablaturum? Hac conditione sit penes Mophtim,*

tim, Mahumetanorum papam, poteſtas hæc convocandi; nihil erit periculi.

Perſonæ ad Synodum mittendæ, & qui tractare debent quæ in Synodis ſunt agenda, ac jus ſuffragii ſeu vocem difinitivam, atque vt vocant deciſivam habent; ſunt primo et præcipue perſonæ ordinatæ ad eccleſiaſtica munia. Deinde et alii, qui donis et vocatione ſunt inſtructi. Iudicioſiſſime Graviſſimus *Gerſomus Bucerus* de gubernat. eccleſ. pag. 106. *Oportet autem eos quibus, definiendi partes committuntur* (in Synodis nempe) *donis neceſſariis & juſta vocatione inſtructos eſſe. Dona quæ deſiderem primaria ſunt doctrina, pietas, prudentia, manſuetudo,* φιλησυχια *humilitas. Hæc enim cum recte dextreque judicandi facultate vt plurimum ire comitata, imo ipſam producre experimur. Enimvero qui his deſtituitur, facile in Iudicando, aut imperitia decipiat, aut Improbitas depravet, aut affectus aliquis interpellet. Vocationem duobus hominum generibus obvenire arbitor. Vnum eſt eorum quibus munus ordinarium docendi regendique eccleſiam demandatum eſt. Ex iis enim ordinarie ſolent delegi delegandi ad Synodum. Alterum ii conſtituunt, qui cum in eccleſiæ miniſterio non verſentur, extra ordinem tamen iuſta authoritate producti, conventibus eccleſiæ cum iudicandi poteſtate intereſſe poſſunt.* Iuſtæ authoritatis appellatione intelligo publicum eccleſiæ judicium quo ex uſu

commu

communi esse statuitur, ut aliqui ministerio ecclesiastico immunes ob singularē doctrinæ præstantiam, & virtutum insignia cooptentur in numerum eorum, penes quos sit in concilio definitivas sentētias dicere. *Iunius* occurrens *Bell.* sententiam hanc impingenti nobis ex omnium hominum genere oportere conciliis interesse, ibique habere suffragium decisivum, in iis quæ ad fidei doctrinam pertinent, ita scribit Contro. 3. lib. 1. Cap. 15. Not. 4. *Hæc nemo nostrum dixit, sensitve prout hic exponuntur, hoc illud est quod diximus, eos adhiberi in concilium oportere, qui dono & vocatione instructi sunt: dono, qui pii, probi, docti: vocatione, qui aut ordinarie ad docendum instituti, aut extra ordinem iusta authoritate accersiti & producti. Hæc bonorum sententia, quam a Luthero & aliis non male allatam, Bellarminus aut male refert, aut percipit male.* Rursus alio loco ibidē cap. 16. Not. 10. *de causa fidei dicere ad eos omnes pertinet, qui prophetæ dono & vocatione sunt, etiam presbyteros & diaconos, quamvis non prælatos secundum circumscriptionem a Bell. positam. Sic enim Paulus præcipit* 1. *Cor.* 14. 32. *eos qui propheta non sunt, æquum est silentes audire & sanctis definitionibus assentiri.* Withaker. etiam respondens *Bell.* asserenti plebem in Hierosolimitanum concilium venisse non vocatam, hæc verba habet: *absurdum id certe est: nam præterquam, quod sine authoritate scripturæ illud dicitur, pugnat etiam cum decoro & eutaxia, ut*

erant eorum, qui ab ecclesiis ad concilium fuerant ablegati, & ab episcopis recensiti ex litteris authoritatis publicæ, quas solebant exhibere. Hi autem cum essent plurimum episcopali dignitate, ex communi ratione catalogus episcoporum a majore parte appellatur Qui ex adverso hic sentiunt nihil nisi meram παραφρασίαν invehunt imo conciliorum usum abrogare penitus, ae denegare ecclesiæ videntur.

Cum igitur facultas judicandi a prophetiæ dono; authoritas publica ex delegatione publica accedat, disquirendum penes quos potestas delegandi deputatos ad Synodum resideat. Nobis id compertissimum est; penes ecclesiam solam hanc potestatem esse: ecclesiæ enim negotia in Synodis tractantur; & ecclesiæ nomine ea à delegatis peraguntur. Sic *Paulus & Barnabas* ab ecclesia ablegati Synodo Hierosolymitanæ interfuerunt Act. 15. 1. 6. totum ecclesiasticum regimen ecclesiæ sub clavibus regni cœlorum traditum Matth. 16. & 18. cujus non ultima pars celebratio Synodorum & delegatio eorum qui Synodos constituant. Hac delegatione intrinseca spiritualis ecclesiarum particularium potestas aggregatur comportatur & associatur in socialem & communem quasi potestatem, qua corpus collectivum & combinatum Synodi vigeat, & potestatem in universale Ecclesiarum bonum exerceat, nemo vero spiritualem ecclesiarum

ecclesiarum potestatem in unionem illam Synodicam conferre potest, quam ipsæ ecclesiæ. si hæc deputatio personarum ad Synodum constituendam non ab ecclesia fiat, sed aliunde oriatur, correspondentia Synodica immutabitur in Consistorium Cardinalium, aut Curiam *Episcopalem*, aut Capitulum Cathedrale, aut Senatum Ecclesiasticum Germanorum, aut celsam Commissionem Anglorum. Aliena enim authoritate res ecclesiarum particularium judicabuntur in Synodo; potestati a suo corpore diversæ & separatæ subjicientur ecclesiæ particulares; cum tamen Christus ecclesias particulares alteri ecclesiasticæ potestati non subjecit quam propriæ; sed hac in re tanquam in principali suo fundamento servatur, quod Synodi, non sint homines, seu subjecta, ab ecclesiis particularibus in totum distincta, & separata, quæ distincta plane, aliena, & superiore potestate prædita, ex se & per se, res ecclesiarum particularium agant: sed quod Synodi sint ecclesiæ particulares, certo ordine collectæ, quarum ecclesiasticæ potestates in Synodis, ordine & vinculo aliquo, aggregatæ & comportatæ sunt in socialem & communem quasi potestatem; hac in re inquam id tanquam in suo principali fundamento servatur, quod delegati ecclesiarum particularium, ab ipsis ecclesiis exemplo Apostolico eliguntur

eliguntur & mittuntur ad Synodum constituendam, & res suas proprias, propria authoritate ecclesiarum particularium tractandas. Quis denique potestatem ecclesiasticam dare potest, quam ecclesia? quemadmodum jus nemini fit publice euangelium docendi, vel administrandi Sacramenta, nisi legitimam vocationem ab ecclesia nacto; ita nullus suo arbitratu publice sententiam de causis fidei dicere, nisi ab ecclesia vocatus potest. Hoc enim nihilominus quam ista in publicis ecclesiæ actionibus numerari debet.

Theologorum doctissimi quique suffragantur sententiæ nostræ; Cl. Professores *Leydenses* in Synopsi theologiæ disp. 49. thesi 26. &c. *ut porro convocatio, ita & missio ad Synodum penes ecclesiam est, idque pro ordine ab & in ecclesia stabilito. Sic Paulus & Barnabas aliique delecti & missi sunt ab ecclesia Antiochena ad Synodum Hierosolymitanum Act.* 15. 2, 3. *Evocatio itaque privata qualis Pontificis est, præjudicat maximopere libertati ecclesiæ. Personæ vero publica authoritate convocatæ, missæ, & convenientes, tractare debent, quæ hic agenda sunt, ac jus suffragii seu vocem definitivam atque ut vocant decisivam habent, sunt primo & imprimis personæ ordinatæ ad ecclesiastica munia; ut in V. T. fuerunt Sacerdotes, Scribæ, & seniores populi Matth.* 2. 4. & 26. 3. 59. & 27. 1. *Act.* 4. 5. *in Novo autem*

Respondet *Iun.* recte *quia non aderat cum authoritate ullius ecclesiæ, qui autem sine authoritate ecclesiæ adsunt, eorum alii solum audire possunt, ut laici: alii etiam consultationibus adhiberi possunt, ut docti, præsertim ecclesiastici. Sed dicere sententiam definitivam non possunt; ad eos autem solum subscriptio pertinet, quorum & sententiæ dictio est.* Quærit *Rever. Voet.* in thes. de potestate ecclesiastic. *an magistratui competat jus deputandi ad Synodum, & litteris mandati ac fidei deputatos Synodales instruendi? Resp. negatur. 1. non esset tum conventus ecclesiasticus sed politicus, 2. repugnaret scripturæ Act. 15. Coll. cum 2. Cor. 8. 18. 19. unde analogice id colligitur, & omni antiquitati ac praxi ecclesiasticæ; videantur tom. concil.* Finio testimonio & probationum rationibus a Cl. *Gerh. Bucero* allatis in dissertatione de gubern. ecclesiæ p. 112. 113. "Quid multis ne-„ cesse est? huc omnia spectant, in iis quæ ad fidei„ fundamentum & regiminis ecclesiastici im-„ mobilem constitutionem pertinent, defini-„ endi potestatem solis ecclesiarum delegatis„ credi consueviſſe. non nego supremum Ma-„ gistratum ejusque delegatos aliquando eidem„ operæ adhibitos fuisse, sed hoc singulari Syno-„ di concilio & studio, quæ vocationis instar fue-„ rit, accidisse, serio assero. Hic me comi-„ ter aliquis interpellat, admonetque, ne„ in odium offensionemq; Principum incurram„ at væ mihi, si hominibus placere, quam„ Christo

Chriſto Domino ſervire malim. Capiant me„ piæ candidæque mentes. Hoc dico, quiſquis „ ille ſit, cui in Synodis jus illud, de quo lo-„ quor, definiendi contigit, debere & donis „ & vocatione inſtructum eſſe: ſi principi do-„ tes contigerint, aliquid tamen, quod vo-„ cationis vice ſit accedere oportere putem. Ra-„ tio firmiſſima in promptu eſt. Nemo enim „ publici miniſterii munia obire poteſt, niſi cui „ iſta legitimæ vocationis jure obvenerunt; non „ ſibi ipſi, ait Apoſtolus, quiſquam ſumit hunc „ honorem, ſed qui, vocatus a Deo; itaque „ ne Chriſtus quidem ipſe ὁ βασιλεὺς βασιλέων καὶ „ Κύριος Κυρίων hunc honorem ſibi tribuit. At-„ qui agere in conciliis ſcripturæ & voluntatis „ divinæ interpretem, munus eſſe ad publicum „ verbi miniſterium pertinens, ex eo deprehen-„ di poteſt, quod hac opera nemo ſibi ſuiſque „ privatim, ſed publico, juxta vocationem „ Dei conſultum eat, unde ii quibus hoc oneris „ incumbit, ſpeculatores, lux mundi, θεῦ συνεργοὶ „ miniſtri Chriſti, ἡγούμενοι myſteriorum Dei, e-„ piſcopi, paſtores, οἰκονόμοι Angeli, a ſcriptu-„ ra vocantur. Vere igitur de ipſis Proſper, „ ſancte, inquit, vivere debent propter exem-„ plum, & docere propter adminiſtrationis of-„ ficium. Ergo publice nemo docere poteſt, „ niſi publico munere ipſi hanc operam injun-„ gente. Væ mihi, inquit Paulus, qui ad „ euangeli-

evangelii ministerium a Deo vocatus erat, si „ non evangelizem 1. cor. 9. 16. at væ etiam illi, „ qui cum vocatus non est, tamen publice E- „ vangelizat aut prophetat Ier. 13. sed enim „ miretur fortasse aliquis, judicium summi Ma- „ gistratus, licet alia vocatio non accesserit, „ haberi instar publici in ecclesia non posse; cum, „ tamen ille non solum publicorum munerum „ supremum fastigium obtineat, verum etiam „ in conciliis honorem publicæ præsidentiæ ad- „ ministret. Atqui redigendum in memoriam, „ tum jus illud præsidendi omnino esse ordinis „ humani, quem Magistratus ex officio curare, „ debet: tum vero quoniam publicarum voca- „ tionum alia civilis sit alia ecclesiastica, quod „ huic peculiare est, illi nulla ratione justa tran- „ scribi posse. Esse autem ordinarie solos pasto- „ res, qui extra ordinem legitima ecclesiæ elec- „ tione seu judicio præeunte eisdem adjungun- „ tur, publicos sermonum Dei interpretes, adeo, „ in promtu est, ut longa probatione non egeat. „ Nam & munerum publicorum distinctiones, „ esse oportere, nec invadi ista sine vocatione, „ vnquam potuisse, ipse communis sensus om- „ nium animis inculcat.

Res & negotia in Synodo tractanda sunt mere ecclesiastica: politica & secularia hic plane aliena sunt, officium enim ecclesiasticorum circa Spiritualia versatur, negotiis secularibus

stolicos ab ipso collectos hunc retenset, Episcopus aut presbyter, aut Diaconus seculares curas ne suscipito, alioqui deponatur. quod ipsum Conciliis Carthagenensi primo & 4. Chalcedonensi Moguntino & aliis confirmatur & ratum habetur. Et acutum est testimonium *Iohannis Bedæi* Advocati in Parlamento *Parisiensi* in tractatu de jure Regum pag. 45. *verum quidem est in aliquibus provinciis episcopos territorii dominos esse, qualis est episcopus Romanus, & aliquot episcopi in Germania quibus adversatur dictum Papæ* Nicolai *Epistola* 8. *dicentis, eos qui sub euangelio reges sunt & sacerdotes, esse membra Diaboli. Quidquid ergo prætexant ecclesiastici, certum est eos neque territorium, neque jurisdictionem habere ulla juris authoritate, neque partem ullam imperii meri aut mixti.* Evangelii ministri propter simplicitatem ministerii non debent munera nec negotia secularia amplecti: propter ejus dignitatem non debent se ad negotia terræ demittere, & negotia ista minima ut Paulus vocat: propter ejus gravitatem non possunt; *intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinæ: hæc meditare: in his esto: intentus esto tibi ipsi & doctrinæ, & permane in ipsis* 1. *Tim.* 4. 13. 14. 15. 16. Ignis altaris continuo ardet quem semper fovere debent: propter decorum, *absurdum est, si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius subtrahat* Cod. de testam. lege Consulta divi-

nalia In eccleſia indecorum, ut unum membrum fungatur officio pluriu m; *in criminibus non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter has accepiſtis claves regni cælorum, prævaricatores excluſuri non poſſeſſores. Quænam tibi major videtur poteſtas, peccata remittendi, an prædia dividendi? habent hæc terrena & infima judices ſuos, reges & principes terræ: quid fines alienos invaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? cur major vis eſſe domino, qui interpellatus à quodam dicente dic fratri meo ut mecum hæreditatem dividat, quis me conſtituit Iudicem inter vos?* inquit Bernardus. Removenda igitur ſunt a coetu Epiſcoporum miniſtrorum omnia ſecularia; & ſolummodo ibi locum habent ſpiritualia, quæ doctrinam veram, ſacramenta, ritus ſacros, & vitam, & morum diciplinam, & politiæ eccleſiaſticæ ordinem concernunt, quæque directe & proprie ad gloriam Dei & eccleſiæ ſtatum & incolumitatem faciunt Act. 15. 1. 5. 24. 29.

Negotia vero hæc ſpiritualia, ſunt vel communia omnium eccleſiarum; quæ enim omnium ædificationem comuniter concernunt, ab omnibus pariter curari & tractari debent; negotia vero particularia, unius aut quarundam eccleſiarum, ab omnibus eccleſijs tractari poſſunt & debent, hiſce in caſibus.

1 In caſu inſufficientiæ, quando ſcilicet impotens

potens deprehenditur ecclesia parochialis ad negotia propria absolvenda.

II. In casu illegitimæ & inordinatæ administrationis: ubi venienti morbo ab omnibus est occurendum.

III. In casu presumptæ administrationis malæ; hoc est, in casu provocationis ejus sive personæ, sive partis, quæ se aggravatam conqueritur. Ita hæc unio ecclesiarum in Synodo inservire debet dirigendæ, conservandæ, promovendæ libertati, & potestati ecclesiasticæ singularum ecclesiarum; non vero ut eam tollat vel lædat. Potestas enim ecclesiastica in Synodis non est privativa sed cumulativa in libertatibus ecclesiæ particluaris, ut scilicet ex abundanti fit magis potens & efficax, magis ordinata, & ad ædificandum apta potestas ecclesiæ particularis: ad asserendam igitur libertatem ecclesiarum particularium delatum est Synodis judicium de rebus spiritualibus. *Agendum igitur hic, quicquid est de quæstione fidei & charitatis, quibus duobus omnis materia Synodi continetur; seu quidquid est fidei aut facti ecclesiastici; quodque in inferiori consessu transigi commode non potuit Actor.* 15. 24. 29. *Unde & olim præter* ἔκθεσιν *expositionem formulasque fidei, Canones Synodo subjiciebantur, qui non aliud sunt quam regulæ, disciplinam morum & ordinis complectentes,* inquiunt *Professores Leydens.* disp. 49. thes. 40. in Synopsi Theolog.

Modus agendi seu res ecclesiasticas tractandi in Synodis est spiritualis, quo Patrum consessus ex ministeriali vocatione voluntatem Christi probe exquirit, & publico judicio declarat, quid per debitam inquisitionem reperiat esse definitum; ut instituta Christi ordine & decenter observentur ab ecclesia, cum maximo fructu ædificationis, ad vitandam confusionem & ecclesiarum dilacerationem. Hinc est quod conventus isti Synodici utpote formaliter ecclesiastici haberi dicuntur *in nomine Domini* Matth. 18. 20. 1. Cor. 5. 4. *ut aliquid fiat in nomine Christi, requiritur quidem authoritas Christi, ut causa efficiens, sed simul etiam requiritur, ut materia, forma, & finis actionis sit Christo, & voluntati ejus conveniens: ita ut tota natura actionis talis sit, qualem Christus probat & agnoscit pro sua*; inquit *Amesius* in *Bellarminum* de Conciliis cap. 1. not. 1. *Cajetanus* Cardinalis hæc observat in Matth. 18. *Non dicit ubi sunt duo aut tres congregati, seu unanimes, sed apponit in nomine meo, ad differentiam concordiæ mundanæ, seu etiam humanæ amicitiæ quæ licet sit laudabilis, non tamen gaudet hoc privilegio divinæ præsentiæ. Non sunt enim in Jesu Christi nomine unanimes, quibus aliud vivere est quam Christus.* Aliud enim est convenire & semetipsos conjungere ad civilem aliquam societatem constituendam, in qua immediate spectatur bonum commune civile; aliud

ud vero fœdere ſancto congregare, ad illa officia præſtanda, quæ ad eccleſiæ ædificationem & ſanctorum communionem exercendam ſpectant. Semper igitur adjunctam habeat neceſſe eſt, in omni actione Synodica, demonſtrationem ſpiritus manifeſtam; verbum enim ſpiritus & vitæ interpretatur, & negotia Ichovæ dijudicat, & moderatur, ad ædificationem Dei, quæ eſt per fidem. Hinc puritas, perfectio, majeſtas hujus actionis læditur, cum rerum & reſpectuum mundanorum, humanorum permixtionem rebus & negotiis regni cœlorum inducit Synodus. Tota igitur actio debet eſſe ſpiritualis, homines indicans in ſcripturis ſapientiæ cœleſtis & pietatis exercitiis multum verſatos; qui etiam illa quæ ex miniſteriali vocatione agunt aliis efficaciter ſuadere, & conſcientiis penitus applicare poſſunt: quibus denique adeſt zelus, charitas, lenitas, libertas, humilitas cum authoritate gravi. Summa eſt, in hac actione nihil admittendum eſſe, quod non facit ad ſpiritualem eccleſiarum ædificationem; nec omittendum quidquam quo ad illum finem certa ratione pervenire poſſimus.

Tota etiam Synodi actio eſt miniſterialis, non ulterius ad fidem aſtringens, quam poſſit oſtendere Dei verbum eſſe quod proponit. Nam revera nihil poteſt de jure probari in Theologia abſque ſcriptura. Hinc Synodorum

Digitized by Google

authoritas est ad asserendam veritatem, & jus divinum, non ad illud evertendum; proinde nulla est ejus authoritas cum malum vel falsum præcipit: & sicut in hoc casu unicum membrum ecclesiæ particularis non tenetur recipere judicium sui Synedrii, ita nec ecclesia particularis judicium Synodi, quamvis œcumenicæ.

Vt autem hæc de Synodorum authoritate melius intelligantur, notandum est in decretis ecclesiæduo respicienda esse, viz. veritatem divinam & authoritatem humanam & ecclesiasticam: præcipue quidem respicienda est veritas. Nam ei non solum debetur obedientia exterior, sed etiam interior illa, quam Apostolus obedientiam fidei vocat Rom. 15, 26., 2. Veritatem manifestam recipere & amplecti tenemur, quamvis sit sine authoritate ecclesiastica, imo quamvis sit ecclesiasticæ authoritati contraria. At authoritati ecclesiasticæ, si sit manifeste contraria veritati, nequaquam debetur obedientia. Vnde *Panormitanus* in cap. significasti de electione dicit *unius privati sententiam præponendam esse sententiæ papæ, si iste privatus moveatur melioribus authoritatibus Testam. V. & N.* & *Gerson.* part 1. in Examine Doct. Sect. 1. Consil. 5. asserit *quemcunque hominem doctum posse & debere toti concilio resistere, si videat illud ex malitia vel ignorantia errare.* At suo loco & gradu

co & gradu respicienda est authoritas ecclesiastica Synodi ex præcepto Heb. 13. 17. Nam primo semper in omni casu debemus ei reverentiam, etiam quando falsa decernit, *pius ecclesiæ filius non perperam ei insilit, sed ab ea reverentiali quodam pudore percussus abscedit* ut loquitur *Waldensis* Tom. 1. lib. 2. cap. 27. secundo debemus illi etiam obedientiam externam, id est Christianæ humilitatis & modestiæ obsequium: nisi quando evidenti aliquo argumento percipimus Synodum falsa & impia præscribere & definire, tunc enim sequenda est illa aurea regula, quæ habetur Act. 5. 29. *Deo potius quam hominibus obediendum est*; dixi nisi quando evidenti aliquo argumento &c. quia non licet ob leves & probabiles rationes judicio pastorum ecclesiæ refragari. Patet hoc 1. quia quando ut obediamus decretis ecclesiæ suadet certa & manifesta authoritas, cui, Deo ipso jubente Heb 13. 17. obtemperare debemus, ut vero iisdem adversemur, suadent conjecturæ incertæ vel probabiles rationes, tunc communis regula est sequenda *tene certum, relinque incertum*. Vide *Gerhardum* Tom. 6. Part. 2. §. 399. Deinde ob probabilia et minus evidentia argumenta decretis ecclesiæ palam refragari, effrœnem et infinitam licentiam dat contradicendi quibuslibet decretis ecclesiasticis. Quæret aliquis quid hic intelliga-

mus per argumentum evidens; Respond. *argumentum evidens* (definiente *Valentia* Tom. 3. disp. 4. quæst. 3. punct. 2,) *est non quod alicui soli subito ex passione forte videbitur, sed quod judicio aliorum prudentum & proborum, & peritorum judicabitur, aut judicari poterit esse tale.*

Quamvis igitur authoritas & potestas Concilii non sit ex sese infallibilis, nec a Deo instituta, ut sit suprema & infallibilis fidei nostræ regula; ac proinde non possit per se & sua authoritate obligare fideles ad id credendum, quod in Concilio definitum est: agnoscimus tamen in Conciliis supremam potestatem ecclesiasticam judicandi & definiendi controversias fidei, divinitus datam ad vitandam confusionem & ecclesiarum dilacerationem. Hinc Consilium potest eos, qui ipsius decretis palam contradicunt, excommunicationi & aliis censuris ecclesiasticis subjicere. Hinc Conciliorum legitimorum authoritas insignem vim & efficaciam præ multis aliis fidei motivis, habet, ad persuasionem de veritate doctrinæ in Concilio definitæ omnium animis ingenerandam: Nam ut recte monet Doctiss. Camero Tom. 1. Prælect. de Eccl. tract. de infallibilitate ecclesiæ, *quoties aliquid decretum est a cœtu quodam eorum, qui in aliqua authoritate constituti sunt in ecclesia, facit hoc ut ne temerè, & non adhibita accurata & gravi observatione id rejiciatur.*

habet

Habet etiam Concilium assistentiam Sp. Sancti peculiarem, atque adeo majorem ea, quæ Doctoribus seorsim judicantibus competit: certiora etiam media investigandi veritatem, videlicet præcipuorum pastorum totius ecclesiæ orationes, jejunia, disputationes &c. meliorem etiam rationem cognoscendi, quæ sit de orta aliqua quæstione totius ecclesiæ sententia, & quam rationem in iis servent ecclesiæ. Hinc qui dubitant de veritate sententiæ a Synodo pronunciatæ, aut ob leves & probabiles rationes eam falsam esse putant, atque adeo non certo sciant eam esse talem, tenentur decreto Synodico præstare obedientiam talem, quæ ordini & decoro eo in casu consentanea est. Quæ obedientia Christianæ humilitatis & modestiæ est obsequium; quo fideles in ejusmodi casu, abstinent a publica seu aperta, tum professione suæ sententiæ, tum damnatione seu confutatione sententiæ a Synodo pronunciatæ. Et interim solicite scrutando scripturas, veritatem indagant Deumqe orant, ut veritatem suam hominibus manifestet, & Synodi lapsus seu errores detegat iis, quibus ecclesiæ cura commissa est: ut illis agnitis, contraria & sana doctrina in alio saniore Concilio stabiliatur. Nam, ut recte ex *Augustino* monent Theologi, *Concilia plenaria priora posterioribus emendari possunt.*

Statuimus igitur quod Synodorum authoritas

tas non conſtringat eccleſias particulares, ſi quidpiam præcipiat verbo Dei adverſum: Ita enim limitant Doctores Reformati & conſtitutionum eccleſiarum decreta Claſſium & Synodorum poteſtatem. Deinde neque tollere, neque diminuere ullo modo debet libertatem & poteſtatem illam, quam Chriſtus eccleſiis particularibus reliquit; cui tantum dirigendæ, promovendæ, & corrigendæ inſervit; poteſtas enim eccleſiaſtica in Synodis & claſſibus, ipſis non eſt collata privative, ſed cumulative, ut ſcilicet ex abundanti ſit magis efficax & potens eccleſia particularis, et non ut per eam ὀικεῖα ſua poteſtate in totum aut in tantum privaretur. Denique ſi paci, ſecuritati, & ædificationi eccleſiæ particularis obſit correſpondentia cum eccleſiis vicinis in Claſſi & Synodo; ita ut ad imperfectionem aut ἀκαιρίαν quoddam in omittendo bono & tollerando malo cum eccleſiis vicinis eſſet declinandum per exercitium hujus correſpondentiæ; & ſic prior Charitas aliqua ex parte deſerenda, ut Smyrna & Philadelphia ſcilicet conformarent ſe Sardibus & Laodiceæ; tali in caſu non conſtringit Synodorum authoritas. Concedit Cl. *Voetius eccleſias Indicas ſive orientales ſive occidentales omittere vel intemittere poſſe correſpondentiam ſuam cum eccleſiis Belgicis in caſu deformationis, aut impeditæ reformationis, atque adeo licitæ ſeparationis* in theſibus de eccleſiis

siis collegiatis Cathedralibus & Metropolitanis Thes. 16. Dub. 6.

At vero cum ad commune multarum ecclesiarum bonum, ad regiminis ecclesiastici prudentiam & integritatem, certam & faciliorem negotiorum expeditionem, schismatum & hæresium maturam præventionem, turbarum, mali exempli, confusionis, & turbonum coercitionem, causarum ecclesiasticarum justam dijudicationem adhibetur Synodica authoritas; tum ecclesiasticam & definitivam potestatem habent Synodi, qua possunt ecclesiis particularibus decreta sua de dogmatis, negotiis, & causis ecclesiasticis imponere, ita ut ea teneantur recipere, & executioni mandare sub pæna censuræ ecclesiasticæ. Patet hoc ex Act. 15. 22. 23. 25. 28. ubi fratres *Concilii Hierosolymitani* communi consensu decidunt, & decisionem suam ecclesiis Antiochiæ, Ciliciæ, & Syriæ præscribunt. Item ex Matth. 18. 17. 18. argumento a minore ad majus; ut conciliorum necessitas & authoritas ex eo loco concludunt Reformati. Denique ex 1. Cor. 14. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt:* Ex hoc loco ecclesiasticam Synodorum authotitatem concludit Cl. *Junius* contro. 4. in præfatione not. 1. & lib. 1. cap. 3. not. 1. Alia argumenta hanc ad causam videre potest lector in thesibus *Voetii* de Classibus & Synodis.

CAP. IV.

Examen Quæstionis quintæ à Claris. Vedelio excussæ.

DE judicio in causa Fidei et rebus religionis in Synodis ferendo proponit Vir Cl. multa hoc capite, ecclesiæ libertatibus et Synodorum potestati adversa et noxia. Præcipua examini Theologico hic iam subjiciemus, et Reformatarum ecclesiarum orthodoxiam ac praxim argumentis solidissimis ex sacra Scriptura petitis vindicabimus ab omni injustæ usurpationis suspicione. Asserit igitur Vir Cl. *non solum ad pastores & Doctores ecclesiæ, sed etiam ad Magistratum pertinere judicium de religione seu rebus fidei, & causis ecclesiasticis, unice ex verbo Dei instituendum; & quidem tum formaliter, tum objective.* Quædam igitur hic differit de judicio Magistratus in causa fidei, quod ipsi formaliter competit, quædam vero de judicio, quod ipsi objective circa Synodos competit. De judicio quod formaliter Magistratui competit in causa fidei, asserit, *quod suffragium habeat decisivum seu definitivum in Synodo, æque ac Doctores ecclesiæ.* Nos vero judicamus rerum spiritualium dijudicationem publicam ad episcopale munus

munus proprie pertinere, et iis esse propriam, quibus publica ecclesiæ vocatione est demandata. Itaque cum Cl. *Iunio* negare non veremur *nos temere nec sine interpretatione aut distinctione commoda, dicturos, judicium de rebus fidei ad reges pertinere* contr. 1. lib. 3. cap. 4. not. recte idem Doctor *in rebus conscientiæ divinis sacris ecclesiasticis nunquam judicium Magistratui civili, ac ne Imperatori quidem, delatum est legitime; quia res sacræ sunt regni & cognitionis alterius* in Controvers. 3. lib. 2. cap. 26. not. 12. Rursus alibi respondens quæstioni, an reges legis divinæ custodes tantum sint, non etiam interpretes: mentem suam plene edisserit his verbis, *distinguendum est nam cum lex rerum humanarum etiam, ac non divinarum sit solum, recte regesipsius interpretes etiam sunt in rebus humanis ex officio suo; licet non ecclesiastica interpretatione: in sacris vero & divinis qua sunt Christiani, sunt etiam interpretes, pro communis vocationis modo, ut privati instituant suos, non sunt autem publici interpretes, ex vocationis singularis ipsorum jure* in cont. 4. lib. 1. cap. 20. not. 9. Duo expresse tradit Cl. Doctor, Magistratus rerum divinarum interpretes esse, vocatione communi qua Christiani, non singulari qua Magistratus. Deinde interpretatione sua, non publice ecclesiam, sed privatim se suosque instituere. Hanc Orthodoxorum sententiam *Christophorus Pezelius Melan-*

Melanchthonis discipulus alibi complexus videri potest his verbis: *Sciendum est præcipue quidem ministris ecclesiæ mandatam esse curam doctrinæ, & laicos ut recte Ambrosius loquitur docendos esse ab episcopis: ideoque in conferendo de causa fidei potiores esse partes ministrorum ecclesiæ, utpote qui peritiores esse debeant, & in controversiis examinandis exercitatiores: interim tamen judicium ipsum est ecclesiæ, quæ constat non tantum ex doctoribus sed etiam ex reliquo corpore: nec pertinet ad unum tantum ordinem, sed ad universam ecclesiam promissio veritatis. Ideo Paulus de his judiciis inquit, si fuerit sedenti revelatum taceat prior, volo omnes ordine dicere sententias* 1. Cor. 14. 30. 31. *Sunt igitur legendi censores seu judices in Synodis, non tantum episcopi, non tantum sacerdotes, sed & laici, qui propter pietatem, gravitatem, & eruditionem censentur idonei. Nec fit hac ratione confusio judiciorum. Non enim ad principes defertur cognitio, quatenus civilem habent potestatem, sed quatenus sunt pars ecclesiæ, ut pie inquit Constantinus* συνθιεκάπαν υμίπεος *Pezelius* argumen. & respons. Theolog. part. 7. pag. 807. Statuit igitur ad Doctores & pastores potissimum causarum fidei dijudicationem pertinere: laicos quidem ab ea prorsus non excludi debere, sed qui singularibus donis conspicui sunt admitti posse, sed certo judicio electi, & justa authoritate extra ordinem accersiti, & producti, ut *Junius* inquit controversia

versia 4. lib. 1. cap. 15. not. Ad hos tamen si principes sint, non qua tales, sed qua ecclesiæ membra sunt, examinationem definitionemque dogmatum deferri posse.

Ne hæc cuipiam morosiora videantur, distincte certis positionibus sententiam orthodoxam exprimimus, quibus palam profitemur quid Magistratus pius formaliter in judicio Synodico de rebus religionis agat: quid vero objective agat postea exponendum.

I. Habet Magistratus fidelis judicium discretionis spirituale, quod et approbationis vocari solet, quod illi cum omnibus ecclesiæ membris est commune; cum hac tamen differentia, quod in privato homine sit privatum et pure spirituale; in Magistratu vero improprie potest dici publicum, quia ad publicæ et politicæ potestatis iudicium peculiariter in Magistratu ordinatur et applicatur. Apposite ad hanc rem *Gersomus Bucerus* pag 121. dissert. de gubernat. eccle. *Commune iudicium est promiscue omnium fidelium, quos Deus pro demenso gratiæ suæ quatenus expediat, discretionis spiritu donare ac dirigere promisit, ut in veritatem omnem verbo ipsius expressam, continuo tenore deducantur. Quia enim semper, impellit aliquos satan, qui sub Christi nomine impostoras suas spargunt, præcipit Iohannes singulis fidelibus, ne omni spiritui credant, sed spiritus an ex Deo sunt sedulo explorent. Est autem privatum*

privatum hoc examen, quo unusquisque sibi fidem suam stabilit, ut tuto hæreat doctrinæ, quam ex scripturis didicit, nec tam humanæ authoritatis specie, quam divinæ veritatis fide acquiescere videantur. Quoniam vero etiam Principes veniant in partem discriminis, quod ab errorum passim grassantium colluvie imminet recte sentientibus, apud ipsos pariter valere debet Apostoli mandatum quo diiudicare inter spiritus iubemur. Quin eo diligentius incumbere in hoc studium ipsos decet, quo magis in sublimi se collocatos esse norunt, ut ad multorum hominum salutem oculos animumque transferant. Huc enim omnia, vel Cicerone teste, referenda sunt ab iis qui præsunt aliis, ut qui eorum in imperio erunt, sint quam beatissimi. Quoniam vero Christianorum sit non hujus vitæ bona consectari, sed ab humo ista sese attollere ad cælum, in quod non pertingimus, nisi veræ fidei semitam ingressi, annon Christiani Magistratus fuerit, hanc curam imprimis ad animum admittere, ut depellendis errorum nebulis, accensa veræ doctrinæ face, immortalis vitæ viam subditis aperiat? Hoc autem nullus tuto præstiterit, nisi certus spirituali judicio, doctusque veritatem a mendacius discernere. Fallunt igitur dum clamitant aliqui, Magistratui omne judicium eripi a nobis ut in ἀλλοσκιπία se quum ecclesiæ defensorem profitetur, collocatus videri possit. Et postea *istorum enim est, ita solicite veritatem Dei mente comprehensam habere, ut tum certiori conscientia ecclesiæ defensio-*

defensionem susciperé, tum judicio meliori circa ordinem humanum externumque ecclesiæ regimen occupari possint. Hæc *Bucerus.*

2. Habet & princeps hortationis officium, ex quo aut coram, aut per epistolas, aut per delegatos, Concilii Patres officii admoneat, ut in cognoscendis dirimendisque fidei controversiis debitam operam fidemque suam spectandam exhibeant. Hoc vero officio qua princeps fidei lumine illustratus defungitur. Sic *Constantinus* ad *Nicæni* Concilii Patres verba faciens, serio & severe jubet, ut *omissis omnibus privatis jurgiis, eorum, quæ ad fidem religionemque pertinebant, absque ulla animorum contentione, examinationem susciperent, Russinus* Historiæ eccles. lib. 1. cap. 2. Iudices Concilii *Chalcedonensis* secundam actionem auspicantes, hisce verbis allocuti Principis legati. *Nunc autem hoc quærendum & statuendum & judicandum est, ut vera fides contineatur, pro qua maxime & Concilium factum est. scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis, tam pro propriis animabus singuli vestrum, quam & pro nostris omnibus, qui & doceri quæ ad religionem pertinent recte desideramus, & omnem ambiguitatem auferri, ex communi sanctorum Patrum concordia, & consensu, & consona expositione, & doctrina. Festinate ergo sine ullo timore & gratia, atque inimicitia, fidem puram exponere, ita ut qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veri-*

tas non conſtringat eccleſias particulares, ſi quidpiam præcipiat verbo Dei adverſum: Ita enim limitant Doctores Reformati & conſtitutionum eccleſiarum decreta Claſſium & Synodorum poteſtatem. Deinde neque tollere, neque diminuere ullo modo debet libertatem & poteſtatem illam, quam Chriſtus eccleſiis particularibus reliquit; cui tantum dirigendæ, promovendæ, & corrigendæ inſervit; poteſtas enim eccleſiaſtica in Synodis & claſſibus, ipſis non eſt collata privative, ſed cumulative, ut ſcilicet ex abundanti ſit magis efficax & potens eccleſia particularis, et non ut per eam αὐτεξίαν ſua poteſtate in totum aut in tantum privaretur. Denique ſi paci, ſecuritati, & ædificationi eccleſiæ particularis obſit correſpondentia cum eccleſiis vicinis in Claſſi & Synodo; ita ut ad imperfectionem aut πταῖσμα quoddam in omittendo bono & tollerando malo cum eccleſiis vicinis eſſet declinandum per exercitium hujus correſpondentiæ; & ſic prior Charitas aliqua ex parte deſerenda, ut Smyrna & Philadelphia ſcilicet conformarent ſe Sardibus & Laodiceæ; tali in caſu non conſtringit Synodorum authoritas. Concedit Cl. *Voetius eccleſias Indicas ſive orientales ſive occidentales omittere vel intemittere poſſe correſpondentiam ſuam cum eccleſiis Belgicis in caſu deformationis, aut impeditæ reformationis, atque adeo licitæ ſeparationis* in theſibus de eccleſiis

ſiis collegiatis Cathedralibus & Metropolitanis Theſ. 16. Dub. 6.

At vero cum ad commune multarum eccleſiarum bonum, ad regiminis eccleſiaſtici prudentiam & integritatem, certam & faciliorem negotiorum expeditionem, ſchiſmatum & hæreſium maturam præventionem, turbarum, mali exempli, confuſionis, & turbonum coercitionem, cauſarum eccleſiaſticarum juſtam dijudicationem adhibetur Synodica authoritas; tum eccleſiaſticam & definitivam poteſtatem habent Synodi, qua poſſunt eccleſiis particularibus decreta ſua de dogmatis, negotiis, & cauſis eccleſiaſticis imponere, ita ut ea teneantur recipere, & executioni mandare ſub pæna cenſuræ eccleſiaſticæ. Patet hoc ex Act. 15. 22. 23. 25. 28. ubi fratres *Concilii Hieroſolymitani* communi conſenſu decidunt, & deciſionem ſuam eccleſiis Antiochiæ, Ciliciæ, & Syriæ præſcribunt. Item ex Matth. 18. 17. 18. argumento a minore ad majus; ut conciliorum neceſſitas & authoritas ex eo loco concludunt Reformati. Denique ex 1. Cor. 14. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt:* Ex hoc loco eccleſiaſticam Synodorum authotitatem concludit Cl. *Junius* contro. 4. in præfatione not. 1. & lib. 1. cap. 3. not. 1. Alia argumenta hanc ad cauſam videre poteſt lector in theſibus *Voetii* de Claſſibus & Synodis.

CAP. IV.

Examen Quæstionis quintæ à Claris. Vedelio excussæ.

DE judicio in causa Fidei et rebus religionis in Synodis ferendo proponit Vir Cl. multa hoc capite, ecclesiæ libertatibus et Synodorum potestati adversa et noxia. Præcipua examini Theologico hic iam subjiciemus, et Reformatarum ecclesiarum orthodoxiam ac praxim argumentis solidissimis ex sacra Scriptura petitis vindicabimus ab omni injustæ usurpationis suspicione. Asserit igitur Vir Cl. *non solum ad pastores & Doctores ecclesiæ, sed etiam ad Magistratum pertinere judicium de religione seu rebus fidei, & causis ecclesiasticis, unice ex verbo Dei instituendum; & quidem tum formaliter, tum objective.* Quædam igitur hic disserit de judicio Magistratus in causa fidei, quod ipsi formaliter competit, quædam vero de judicio, quod ipsi objective circa Synodos competit. De judicio quod formaliter Magistratui competit in causa fidei, asserit, *quod suffragium habeat decisivum seu definitivum in Synodo, æque ac Doctores ecclesiæ.* Nos vero judicamus rerum spiritualium dijudicationem publicam ad episcopale munus

munus proprie pertinere, et iis esse propriam, quibus publica ecclesiæ vocatione est demandata. Itaque cum Cl. *Iunio* negare non veremur *nos temere nec sine interpretatione aut distinctione commoda, dicturos, judicium de rebus fidei ad reges pertinere* contr. 1. lib. 3. cap. 4. not. recte idem Doctor *in rebus conscientiæ divinis sacris ecclesiasticis nunquam judicium Magistratui civili, ac ne Imperatori quidem, delatum est legitime; quia res sacræ sunt regni & cognitionis alterius* in Controvers. 3. lib. 2. cap. 26. not. 12. Rursus alibi respondens quæstioni, an reges legis divinæ custodes tantum sint, non etiam interpretes: mentem suam plene edisserit his verbis, *distinguendum est nam cum lex rerum humanarum etiam, ac non divinarum sit solum, recte rege ipsius interpretes etiam sunt in rebus humanis ex officio suo; licet non ecclesiastica interpretatione: in sacris vero & divinis qua sunt Christiani, sunt etiam interpretes, pro communis vocationis modo, ut privati instituant suos, non sunt autem publici interpretes, ex vocationis singularis ipsorum jure* in cont. 4. lib. 1. cap. 20. not. 9. Duo expresse tradit Cl. Doctor, Magistratus rerum divinarum interpretes esse, vocatione communi qua Christiani, non singulari qua Magistratus. Deinde interpretatione sua, non publice ecclesiam, sed privatim se suosque instituere. Hanc Orthodoxorum sententiam *Christophorus Pezelius Melan-*

Melanchthonis discipulus alibi complexus videri potest his verbis: *Sciendum est præcipue quidem ministris ecclesiæ mandatam esse curam doctrinæ, & laicos ut recte Ambrosius loquitur docendos esse ab episcopis: ideoque in conferendo de causa fidei potiores esse partes ministrorum ecclesiæ, utpote qui peritiores esse debeant, & in controversiis examinandis exercitatiores: interim tamen judicium ipsum est ecclesiæ, quæ constat non tantum ex doctoribus sed etiam ex reliquo corpore: nec pertinet ad unum tantum ordinem, sed ad universam ecclesiam promissio veritatis. Ideo Paulus de his judiciis inquit, si fuerit sedenti revelatum taceat prior, volo omnes ordine dicere sententias* 1° *Cor.* 14. 30. 31. *Sunt igitur legendi censores seu judices in Synodis, non tantum episcopi, non tantum sacerdotes, sed & laici, qui propter pietatem, gravitatem, & eruditionem censentur idonei. Nec fit hac ratione confusio judiciorum. Non enim ad principes defertur cognitio, quatenus civilem habent potestatem, sed quatenus sunt pars ecclesiæ, ut pie inquit Constantinus* συνθιεζίπων υμέτερος *Pezelius* argumen. & respons. Theolog. part. 7. pag. 807. Statuit igitur ad Doctores & pastores potissimum causarum fidei dijudicationem pertinere: laicos quidem ab ea prorsus non excludi debere, sed qui singularibus donis conspicui sunt admitti posse, sed certo judicio electi, & justa authoritate extra ordinem accersiti, & producti, ut *Junius* inquit controversia

verſia 4. lib. 1. cap. 15. not. Ad hos tamen ſi principes ſint, non qua tales, ſed qua eccleſiæ membra ſunt, examinationem definitionemque dogmatum deferri poſſe.

Ne hæc cuipiam moroſiora videantur, diſtincte certis poſitionibus ſententiam orthodoxam exprimimus, quibus palam profitemur quid Magiſtratus pius formaliter in judicio Synodico de rebus religionis agat: quid vero objective agat poſtea exponendum.

I. Habet Magiſtratus fidelis judicium diſcretionis ſpirituale, quod et approbationis vocari ſolet, quod illi cum omnibus eccleſiæ membris eſt commune; cum hac tamen differentia, quod in privato homine ſit privatum et pure ſpirituale; in Magiſtratu vero improprie poteſt dici publicum, quia ad publicæ et politicæ poteſtatis iudicium peculiariter in Magiſtratu ordinatur et applicatur. Appoſite ad hanc rem *Gerſomus Bucerus* pag 121. diſſert. de gubernat. eccle. *Commune iudicium eſt promiſcue omnium fidelium, quos Deus pro demenſo gratiæ ſuæ quatenus expediat, diſcretionis ſpiritu donare ac dirigere promiſit, ut in veritatem omnem verbo ipſius expreſſam, continuo tenore deducantur. Quia enim ſemper, impellit aliquos ſatan, qui ſub Chriſti nomine impoſturas ſuas ſpargunt, præcipit Iohannes ſingulis fidelibus, ne omni ſpiritui credant, ſed ſpiritus an ex Deo ſint ſedulo explorent. Eſt autem*

privatum

defensionem susciperé, tum judicio meliori circa ordinem humanum externumque ecclesiæ regimen occupari possint. Hæc *Bucerus.*

2. Habet & princeps hortationis officium, ex quo aut coram, aut per epistolas, aut per delegatos, Concilii Patres officii admoneat, ut in cognoscendis dirimendisque fidei controversiis debitam operam fidemque suam spectandam exhibeant. Hoc vero officio qua princeps fidei lumine illustratus defungitur. Sic *Constantinus* ad *Niceni* Concilii Patres verba faciens, serio & severe jubet, ut *omissis omnibus privatis jurgiis, eorum, quæ ad fidem religionemque pertinebant, absque ulla animorum contentione, examinationem susciperent, Russinus* Historiæ eccles. lib. 1. cap. 2. Iudices Concilii *Chalcedonensis* secundam actionem auspicantes, hisce verbis allocuti Principis legati. *Nunc autem hoc quærendum & statuendum & judicandum est, ut vera fides contineatur, pro qua maxime & Concilium factum est. scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis, tam pro propriis animabus singuli vestrum, quam & pro nostris omnibus, qui & docere quæ ad religionem pertinent recte desideramus, & omnem ambiguitatem auferri, ex communi sanctorum Patrum concordia, & consensu, & consona expositione, & doctrina. Festinate ergo sine ullo timore & gratia, atque inimicitia, fidem puram exponere, ita ut qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veri-*

tatis agnitionem ad concordiam revocentur. Act. Concil. Chalced.

3. Potest Magistratus quæstiones quascunque de doctrina & moribus in thesi aut hypothesi in Concilio proponere, quarum decisionem judicaverit, aut ad conscientiæ suæ, aut ad populi sui institutionem, aut ad publicum bonum pertinere. Ita Rex Hispaniæ *Sisenandus* ingressus Synodum *Toletanam* quartam, quæ ipsius jussu congregata erat, "religiosa prose-„ cutione Patres admonuisse scribitur, ut pater-„ norum decretorum memores, ad confirman-„ da jura ecclesiastica, studium præberent, & „ illa corrigerent, quæ dum per negligentiam „ in usum venerant, contra ecclesiasticos mo-„ res, licentiam sibi de usurpatione fecerant" Concil. Tolet. 4. in præfat.

4. Si Principi dotes contigerint, & donis ad judicia religionis requisitis instructus ad Synodum accedat, ecclesiæ vocatione accedente, aut singulari Synodi Consilio & postulatione, quæ vocationis instar fuerit, & vocationis vice accedat, eum Patrum loco haberi, & in deceptatione & dijudicatione Synodica, in iis quæ ad fidei fundamentum & ecclesiastici regiminis constitutionem pertinent, definiendi potestatem habere judicamus. Hoc gravissimus Theologus *Gersomus Bucerus* diserte affirmat; en ejus verba dissertatione de gubernatione eccles. pag. 122.

pag. 122. "Quin adjicimus si quis in Magistratu singularibus doctrinæ & pietatis dotibus emineat, Consilio ac rogatu ecclesiæ, in numerum eorum, quibus causas fidei publica authoritate definire, injunctum est, extra ordinem, ex complurium Reformatorum sententia, venire posse."

5. Negamus tamen Magistratui, qua Magistratui, seu ratione muneris & dignitatis suæ absque ulla ecclesiæ vocatione, ex iure divino tribui posse iudicium definitivum, publicum, Synodale, ecclesiasticum, directionis scilicet seu institutionis in rebus religionis, fidei, & spiritualis regiminis ecclesiastici formaliter; ita ut æque in hisce suffragium decisivum habeat, ac pastores & doctores & alii ab ecclesia delegati & vocati. Hoc scripturarum authoritati, rectæ rationi, & Reformatorum orthodoxiæ repugnare serio affero, expendat lector sedulus argumenta sequentia.

1. Hoc principium mihi sumo, neminem proprie præter unicum Christum, rerum spiritualium intuitu, principatum seu dominium in ecclesia obtinere. Fixum enim illud Pauli *unum Dominum esse Iesum Christum, per quem omnia & nos per ipsum* 1. Cor. 8. 6. Hinc quæcunque iudicia de religionis controversiis hic per homines eduntur, ministerialia omnia sunt, nulla imperialia. Διοπτικὴν vero Principi potestatem

statem esse, & omnia quæ legitime, qua princeps est, peragit, iudicare & decernere eadem potestate facile concedendum. Nam Magistratus, qua talis, non ὑπηρετικῶς ut legati, sed δεσποτικῶς ut proreges, decreta sua promit: & ut Chrysostomus inquit Homil. 15. in 2. ad Corinth. *principes omnia metu & necessitate peragunt, hic autem* (ubi nimirum ministerii ecclesiastici partes sunt,) *opus bonum per electionem & voluntatem fit.* Potestas igitur Magistratus coactiva est, & involuntario etiam imperat juxta Apostolum Rom. 13. Muneris igitur authoritate judicia religionis, quæ suasoria sunt, & tantum voluntario imperant, non administrat qua princeps. Hinc etiam cum in Synodis principes rebus ecclesiæ tractandis, una cum episcopis occupati erant, si nimis imperiose agerent, & dictatorum instar sese haberent, haud immunes à reprehensione fuisse legimus. refert *Suidas* aliquando præsidente inter Episcopos Constantino, cum quidquid hic dixisset, illi cum admiratione applausuque maximo exciperent, *Leontius* episcopus *Tripolis* in *Lydia* tacitus sederet, hunc tandem Imperator, cur solus omnium sileret, interroganti, cum singulari παῤῥησία respondisse; *miror quomodo aliis curandis destinatus, alia tractes: militaribus politicis rebus cum præsis, episcopis, circa ea, quæ ad solos episcopos pertinent, præcepta tradas.* Addit autem *Suidas*

das, Imperatorem pudore affectum in talibus hujusmodi imperio abstinuisse in posterum. Suidas in voce *Leontius.*

2. Nefas est ut publicum judicium de rebus fidei pronunciet is, qui dotibus & prophetiæ dono instructus non sit; alioqui non existenti prophetæ prophetandum esset. Hinc *Martyr* scribit *tantum spiritualibus rerum divinarum judicium deferri oportere* loc. commun. Clas. 4. loc. 4. not. 1. spiritualium autem nomine intelligit, qui doctrina & sanctitate eminent, & spiritus non carnis opera habere convincuntur. *Whittakerus* statuit *non solos prælatos habere jus definiendi in conciliis, sed homines quosvis idoneos eligi posse, qui ad Concilium mittantur.* Controvers. 3. quæst. 1. cap. 1. duo requirit, ut idonei sint, & eligantur. *Innocentius Gentiletus* Exam. Concil. Trident. lib. 5. sect. 12. censet in delectu habendo spectandum esse, *an re ipsa, ac non nomine tenus, sint Theologi, modesti, ab omni invidia animique perturbatione vacui, an veritatis amantes, ac vitæ probæ, morumque sanctimonia præditi.* Non igitur simpliciter controversiarum religionis diiudicatio, quibuslibet sine exceptione summis Magistratibus concredi potest: quibus contingere potest ut pueri esse, quod detestabatur *Salomo* Eccles. 10. 16. Non Philosophi, quod optat *Plato*, etiam vulgi opinione censeantur. Quod vero Magistratui ratione muneris com-

petit, omni Magistratui competit; & non dependet a prophetiæ dono, quod donum necessarium Magistratus muneris adjunctum non est. In hanc igitur sententiam compellor, principem ad ferendum judicium de rebus fidei adhiberi non posse simpliciter, qua supremus Magistratus est, sed qua idoneus ad judicandum ab ecclesia censetur, & ad judicium evocatur.

Nemo publici ministerii munia in ecclesia obire potest, nisi cui ista legitimæ vocationis jure obvenerunt. testatissimum id apud omnes reformatos, qui de ministerio ecclesiastico contra *Anabaptistas* & *Socinianos* quippiam in lucem ediderunt. agere in conciliis scripturæ & controversiarum de religione judicem, munus est ad publicum verbi ministerium pertinens. in hoc enim versatur homo in sacris & divinis, non qua Christianus pro communis vocationis modo, ut privatim se suosque instituat (omnibus enim fidelibus competeret) sed publicus est scripturæ interpres, & publico consultum it ex vocationis singularis jure. hinc reformati in capite de judice controversiarum contra pontificios, ad Christi præconis administri & sacerdotis officium peculiare id referunt. audiatur *Cl. Iunius* in *Bellarm.* Controv. 1. Lib. 3. cap. 4. not. 17. *nos ita distinguimus* inquit; *privatorum est sententiam legis Domini recognoscere privato*

privato judicio. sacerdotum vero, ut Angelorum & interpretum Dei authoritate publica. sed authentica & definitiva (ut vocant) *potestate judicare, non est sacerdotis ullius. judicat enim Deus solus ut judex, qui præst conscientijs omnium. judicat sacerdos, ut præco, nuncius, index & administer judicis. judicat Christianus quisque ut discipulus cum magistro communicationem habens. Deus authoritate publica & absoluta judicat. sacerdos authoritate publica limitata ut præco Dei & internuncius. Christianus privata conscientia, ac veluti gustu fidei; authoritati Dei certa fide, & authoritati sacerdotis certo modestoque judicio acquiescens.* Item cap. 3. not. 9. *Dicimus duo esse in ecclesia judiciorum genera, unum privatum, quod omnium fidelium est universe & singulariter; alterum publicum vocatione publica & authoritate fultum &c. publicum judicium esse aut particularis ecclesiæ, aut plurium in unum corpus coeuntium, aut omnium, quod corpus vocant συνοδον Concilium conventum &c.* Iam vero Magistratus legitimæ vocationis jure non gaudet, quo publici ministerij ecclesiastici munia obire possit; civilisque magistratus vocatio specifica differentia diversa est a legitima ecclesiastica vocatione. quod huic igitur generi peculiare est, illi nulla ratione justa transcribi potest.

4. Conferantur omnia loca ex quibus in N. T. Synodorum authoritas & necessitas demonstratur

monſtratur a Reformatis, & judicetur judicio a præjudiciis libero, an aliquo modo ex iis judicium Magiſtratus Synodicum ratione muneris & dignitatis ipſius in rebus religionis poſſit evinci: exemplar omnium Synodorum, Act. 15. delegatis eccleſiæ presbyteris & fratribus vocatis judicandi poteſtatem adjudicat: 1. Cor. 14. 32. Prophetis Spiritus prophetarum ſubjiciuntur. Mat. 18. 18. eccleſiam audire jubemur 1. Theſſ. 5. 13. 17. Præpoſitis & Ductoribus, qui animarum ſaluti invigilant, obſecundare & obedire &c. Hæc ad Principem ratione politici muneris pertinere qui affirmat, næ ille cœlum terra miſcet, & a Deo diſtincta confundit.

5. Aſſumo argumentum quod ab aliis Clariſſim. Theologis urgetur, deſumptum à graviſſimo periculo, quod eccleſiæ imminet, cum ex *Dom. Vedelii* ſententia judicium definitivum in rebus religionis & fidei Magiſtratui ratione muneris defertur; & non meis, ſed *Clariſſimi Gerſomi Buceri* verbis id propono: ita inquit differt. de gubern. eccleſ. pag. 114. "Si enim ſupremus Magiſtratus qua ſimpliciter talis, omnium „ controverſiarum fidei ſummus, ut quidam „ ſtatuunt, judex cenſeri debeat, annon unius „ paucorumve incolumi Confeſſione, ceu filo „ tenuiſſimo, totius eccleſiæ integritas, atque „ ſalus appenditur? Si exceperint alii: Principem „ pari

pari tantum cum episcopis, presbyterisque „
verbo laborantibus, definiendi potestate præ- „
ditum esse, annon tamen, ubi istam omni „
omissa cautione obtinere in solidum asseritur, „
idem fere periculum ecclesiæ protenditur? „
Cum enim grave malum sit, errare princi- „
pem, tum vero longe gravissimum illud est, „
quod permulti errare cum principibus sapi- „
entiæ loco reputent. Quotusquisque enim fu- „
erit, qui quod sentit, licet verissimum op- „
timumque sit, si principi contrarium videa- „
tur, aut libere proferre, aut certe constan- „
ter propugnare audeat? Sic igitur compluri- „
um hominum salutem in casus incertissimi dis- „
crimen conjeceris. Item pag. 115. Attendant „
igitur, qui e contrario statuunt, summum- „
que jus de causis fidei decernendi ad supre- „
mum Magistratum simpliciter qua talis est, „
nulla donorum, aut vocationis mentione in- „
terposita, pertinere arbitrantur, quantam „
vexandis perdendisque ecclesiis, si quando „
impios ac pseudo-Christianos Magistratus „
nactæ fuerint, fenestram patefaciant. Vt- „
cunque vero ecclesiæ status magis in solido „
interdum sit, quam ut ciusmodi casus ali- „
quis convellere eum possit, nemini tamen „
incompertum, quam varia, ad quæ mini- „
me attendimus, leviculo impulsu, inclinatio- „
nem aliquam, aut pravas rebus publicis eccle- „
siæ

habent, qui ecclesiasticas adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Comes *Elpidius* in *Ephesina* Synodo ordini præfectus a *Theodosio Iuniore*, interfatus, Sic Patres alloquitur: *eam quæ nunc orta est dubitatio, piissimus Imperator ad vos sicut Patres & judices perducit, à vobis desiderans invenire propositæ quæstionis solutionem, communem tam sibi quam suis subditis credens fore tutelam.* *Ambrosius* Epist. 32. ita disserit *si conferendum est de fide, sacerdotum debet esse ea collatio: sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus. Factum etiam sub Constantio augustæ memoriæ Imperatore, paternæ dignitatis hærede.* Non absimile est *Gregorii* testimonium quando scribit, *notum esse piissimos Dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, & in causis sacerdotalibus sese non immiscere* Greg. Mag. lib. 5. Epist. 25. Hoc consilio scriptum a *Gratiano* ad episcopum *Aquileiæ, se in obortæ altercationis interpretes constituisse antistites ipsos, ut videlicet a quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab iisdem discordiæ eruditionis repugnantia solveretur.* Ad quæ verba cum legerentur in Concilio *Aquileiensi, Ambrosius* Episcopus: *ecce*, inquit, *quod Christianus constituit imperator. Noluit injuriam facere sacerdotibus, ipsos interpretes constituit episcopos.* Act.

Concil.

cipis potestate quandoque accessisse, sed ad Synodicam actionem, & definiendi potestatem (cum qua tamen à quibusdam confunditur ineptissime) pertinuisse negamus; sed tantum ad ordinis externi & politici conservationem, cujus curam magistratus præstare debet: utpote qua conciliorum decreta edicto suo sanciens in id operam dat, ut ecclesiæ judicium illis comprehensum publice innotescat, sequendumque subditis authoritate publica mandetur. Hanc imperialem sanctionem Virum Cl. hic non intelligere, ex eo nobis videtur manifestissimum, quia hic describitur potestas, quæ formaliter in judicio de rebus religionis & fidei, magistratui competit: Κύρωσις synodicæ actionis ad potestatem magistratus objective circa judicium religionis versantem pertinet; uti D. Professor circa finem hujus quæstionis etiam innuit, & revera ἐπικρισις est synodicorum actuum, & secundarium judicium, quod patrum κρίσει succedit, & ejus confirmationem publico edicto sancire conatur.

Ex thesibus *Episcopii* de jure magistratus circa sacra constat Remonstrantes ei ὁμοψήφους concedere summo magistratui potestatem evocandi Theologos, à quibus consilium exquirat, aut quos velit secum, aut inter se collationem instituere super religionis controversiis, quorum concilio in conficiendis & roborandis decretis

cretis utatur. At vero insulsum hoc paradoxum nulli scripturæ, aut ecclesiasticæ antiquitati aut novitati convenire; quin & omnibus illis diserte repugnare, & descriptioni conciliorum & potestatis ecclesiasticæ apud quarumcumque partium theologos dogmaticos & elenchticos adversum esse, nobis est quam certissimum: Et stolidam illam theologiam plane geminam esse illi curiali papisticæ, quæ omnem concilii & ecclesiæ potestatem in unum papam redigit asserunt Viri Doctissimi. Huic sententiæ ut arbitrer Cl. Virum calculum suum adiicere a me impetrari non possum: prohibent scripta eius quæ in causa contra Remonstrantes edidit.

Aliud quidpiam in mentem venit; videtur mihi Vir. Cl. iudicium quoddam in re ecclesiastica superius ecclesiastica definitione tribuere magistratui, quo ecclesiasticam definitionem corrigere, suspendere, vel immutare possit: præcipue si adhibitis peritis & piis theologis hoc decernat; vel etiam rem in Synodo definitam in alia Synodo pro sua voluntate resumendam tradere posse: & illud judicium formaliter magistratui competere. Vt vero hæc sententia, & subsequens nostra dissertatio, qua hæc sententia iudicii lance, & examine ponderatur, aliquid lucis mutuetur; eam exactius determinamus, & circumscribimus, ut percipiant pii sensum animi nostri, & tenebrarum in volucra

aD.

Domini Professoris sententia removeantur.

1. Notamus principem posse post legitimum Synodi judicium solitariam quandam diiudicationem suscipere, cum ob certaminum multiplicationem Synodi judicio, consilio & exhortatione sua nihil promoveri cernit: hoc est, arbitramur ad pii principis officium pertinere, ut postquam controversiæ, Synodis aliquot legitime coactis, recte discussæ fuerunt, non semper ad singulorum recoctam cramben, novas indici curet; sed potius decretorum & confessionum religioso examine ex scripturis instituto, precibusque ad Deum effusis, veræ sententiæ ipse conetur adeo certus esse, ut hancerroribus expulsis recta conscientia animoque intrepido propugnare possit. Existimamus igitur convenire magistratibus post Synodum ad religionem judicandi officium, non commune solum, quod omnium hominum est salutis curam animo assumentium; verum etiam speciale, & quatenus in tali eminentia constituti sunt. Istorum enim est ita solide veritatem Dei mente comprehensam habere, ut tum certiori conscientia ecclesiæ defensionem suscipere, tum iudicio meliori circa ordinem humanum externumque ecclesiæ regimen occupari possint. Vt iam ex *Bucero* citavimus. At adiicio tale iudicium ad imperatoriam βασιλειαν non ad Synodicam χειροτ referendum esse: id est, judicium illud

lud non esse publicum, Ecclesiasticum, Synodale, directionis scilicet, seu instructionis ecclesiæ, sed longe ab illo distinctum; quo veritatem vel pietatem rei in Synodo determinatæ non rursus in iudicium & deceptationem revocat, sed agnoscit, & de eius executione legitima deliberat, & pro imperio statuit.

2. Addo, si contigerit conciliorum decreta ipsi displicere, & aberrasse alicubi præsules à veri rectique limitibus videantur expositis judicii sui rationibus, repeti συζήτησιν & judicaturam imperabit, nec desinet omnem operam adhibere, donec bona causa per media legitima vicerit.

3. Adjicio, judicem hominum posse esse principem in causa fidei, non judicem fidei, id est, doctrinæ fidei simpliciter; idque ubi ecclesiæ schismate disruptæ & dilaceratæ iacent. Ita *Iunius de Theodosio* Imperatore, *cum videret partes seu principes variarum religionum in causa fidei confligtari, ne quis ipsum ab aliqua partium criminaretur rapi; affirmat judicem hominum se fecisse Theodosium in causa fidei, non judicem fidei, id est, doctrinæ fidei simpliciter*, in *Bellarm.* de Concil. lib. 1. cap. 20. not. 24. & not. 25. *alia est ratio judicii*, inquit, *in rebus fidei, ubi legitimæ conspirant Episcopi: alia ubi schismate disruptæ & dilaceratæ sunt Ecclesiæ: illud non est imperatorum: hoc vero si non fecerint; ut ordine malis publicis prospiciant,*

ciant, commune ecclesiæ bonum perdunt & rempublicam.

At vero magistratum iure divino veritatem & pietatem rei, à Synodo in causa fidei legitime determinatæ, vel solitaria dijudicatione, vel evocatis & adhibitis Theologis, posse rursum in disceptationem & judicium revocare, publico judicio definitivo formaliter determinare & decernere, plane negamus, & id rejicimus, vt dogma plane erroneum & noxium, repugnans institutioni, naturæ, & fini Synodorum, quod subsequenti argumentorum quaternione evincimus.

1. A Synodorum & conciliorum decretis, & sententia in causa fidei, ad magistratus, seu principis judicium appellare, seu prouocare jure nemo potest: concedit hoc alibi Cl. Vir. & ratio etiam docet, in rebus enim spiritualibus formaliter ecclesiasticis, princeps non est judex conciliis par nec superior. At vero hæc sententia Cl. Viri provocationem, seu appellationem à Synodi decretis & judicio, ad judicium principis ejusque potestatem, ut iniquitatem, aut imperitiam judicantium in Synodis corrigat, expresse infert. Quid enim est appellare? *appellare,* (inquit *Calvinus* in Lexico juris,) *est verbum juris, cum is, qui à magistratu aliquo injuriam passus est, vel parem, vel superiorem magistratum adit, & vt illud decretum rescindat petit.* Item *ap-*

pellatio definitore Hermogeniano leg. præfecti 17. *ff. de minor. est iniquitatis sententiæ querela; hæc definitio, ut brevis ita vera est. Bartholus vero ita definit in leg.* 1. *ff. de appell. ut sit jus quo interim prima sententia extinguitur, & interim causæ cognitio ad superiorem judicem devolvitur. Hanc rectius quam Bartholus definiisse, visus plerisque est Iulius Pontifex in cap. placuit* 1.2. *quæst.* 6. *ut sit à minore judice ad superiorem provocatio. Hermogeniani & Iulii definitiones, ut rectæ aptæque sunt, ita omnibus probatæ.* Item *sunt* (inquit) *qui appellationem in duo genera distribuant in expressam & tacitam, expressa est quæ voce & scriptis fit, leg.* 1. *&* 2. *ff. de appell. tacita quæ neque voce, neque scriptis fit, sed facto: cujus meminit textus in cap. delecti filii de app. in antiq.* Omnia essentialia quæ hisce definitionibus comprehenduntur, ex sententia Cl. Viri statuuntur & inferuntur, cum tale judicium definitivum magistratui post Synodi decreta de rebus fidei ad querelas partium defertur: experiatur Lector prudens, an certum non sit quod dico.

2. Omne judicium quod exercet magistratus, ratione dignitatis & muneris, est politicum non ecclesiasticum. At definitivo judicio decernere formaliter res religionis & fidei, à Synodo legitime determinatas, non est judicium politicum sed ecclesiasticum; utpote quod versatur in rebus sacris, divinis, conscientiæ, ecclesiasticis;

siasticis; & quo quispiam non privatim suos instituit, sed ex singularis vocationis jure publicus scripturæ est interpres. Magistratus post Synodum hoc sibi arrogare non potest ob querelas partium. Postquam enim Deus ad sonandam Euangelii vocem, fideique causas publice decidendas servorum suorum λειτουργίαν destinare voluit; principum nullus vi sui muneris, à servorum Dei ministerio distincti, in alienas partes bona conscientia involare potest.

3. Decreta Synodica tali authoritate in conciliis statuuntur, qua supremam, ecclesiasticam, ministerialem, & definitivam potestatem habeant; & qua ecclesiis particularibus imponi possint in negotiis & causis ecclesiasticis; ita ut ecclesiæ & fideles teneantur ea recipere sub pœna censuræ ecclesiasticæ: uti id cap. superiori evicimus locis scripturæ Act. 15. 22. 23. 25. 28. 1. Cor. 14. 32. At vero judicium hoc, quod post Synodum Magistratui Cl. Vir defert, authoritatem illam Synodorum de gradu deturbat: aboleri enim, irritari judicia a Synodo lata, solitaria principis dijudicatione & sententia posse, divinum ordinem, ecclesiasticam potestatem, & spirituale regimen interturbari, luce meridiana clarius perspici potest ab omnibus, quibus oculi non lippiunt.

Concedimus si res ita ferat, & ad publicam ædificationem, & documentum Christianæ

lænitatis & charitatis requiratur, eccleſiam poſſe ad tempus ſuſpendere & ſuſtinere judicia in Synodo lata: at magiſtratum abolere irritare, ſeu abrogare poſſe ſolitaria dijudicatione, aut adhibitis quibuſdam Theologis, poſt Synodum, abſque Synodo, juri & æquitati repugnat. Si princeps poteſt prorſus abrogare canones abſque eccleſiarum & Synodorum aſſenſu, fruſtra conditi ſunt canones. Ordo poſtulat ut per quas cauſas res aliqua naſcitur, per eaſdem intereat, vt Canones à Conciliis conditi à conciliis abrogentur. In legibus humanis mere eccleſiaſticis, & pro temporum, & locorum ratione mutabilibus, expenſa neceſſitate & utilitate, ſummum jus relaxandum eſſe a conventibus eccleſiaſticis, non adeo moroſi ſumus, ut negemus; judices enim eccleſiaſtici tum juris tum æqui judices ſunt: ſi neceſſitas aut major utilitas relaxationem ſtricti juris poſtulat, diſpenſatio debetur ex juſtitia. In legibus divinis abunde ſatis in omnes caſus proſpexit Deus legiſlator, in humanis ſi quid deficit ratione determinationis particularium circumſtantiarum, ſtricti juris relaxatio, neceſſitatis aut majoris utilitatis cauſa, deneganda non eſt. Sed quid hæc ad Principem aut Pontificem politicum, cum adjuncto quodam Evocatorum Cardinalium conſiſtorio. Recte Spalatenſis lib. 2. cap. 10. num. 74. de republ. eccleſ. " leges

omnes

omnes ecclesiasticas esse sub imperio & po- „
testate ipsarummet ecclesiarum, ita ut una- „
quæque ecclesia, ubi necessitas aut opportu- „
nitas ita postulat, possit in legibus universali- „
bus, per se ex gravissima causa dispensare, „
imo etiam mutare, moderari, & penitus ab- „
rogare, præsertim in Synodis, & quo majo- „
res erunt Synodi, eo majorem etiam habent „
potestatem. " Sed necessitate aut utilitate id non exigente, concedi non debent dispensationes, nam ejus generis dispensationes, legum vere vulnera sunt.

Quoad magistratus vero, negant Theologorum Doctissimi, principem vel ad tempus tantum canonem Synodicum posse abolere, ne in singulari quidem & certa persona seu casu: ita ut princeps abolitionem criminis, aut violati canonis ecclesiastici, alicui concedere non possit, aut ejus infamiam seu violationem abolere. Ita enim *Caldervvoodus* pagin. vigesima nona Altar. Damas. *si princeps absque consensu ecclesiæ potest abolere crimen & infamiam violati canonis, frustra muniuntur Canones pœnis, & censuris. quod si per fictas causas acciderit, ut nonnulli eiusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ inflictæ ab ecclesia, aut remittuntur, aut minuuntur, Tridentini Patres decreverunt in hunc modum; Episcopus apud ecclesiam suam residens, desurreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolu-*

tione alicujus publici criminis, seu delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerat. falsis precibus impetratur; per seipsum tanquam sedis Apostolicæ delegatus, etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitime constiterit, non admittat. An non licebit de condicillis venialibus principis inquirere, quibus artibus extorqueantur, quod de Papæ codicillis in ecclesia Papana licet. Conferat dignitates mundanas pro arbitrio, sed infamibus dignitatum ecclesiasticarum portæ ne pateant. Concludimus igitur leges omnes ecclesiasticas, quæ sunt humani juris, sub ipsarummet ecclesiarum potestate & imperio esse, quas mutare, aut abrogare, & in quibus omnibus dispensare ex gravissimis causis possunt ecclesiæ Dei, præsertim in Synodis. Ab unius Pontificis Romani, aut principis politici nutu & arbitrio tanta rerum ecclesiasticarum moles pendere non debet. *Synodi multis de causis in ecclesia sunt necessariæ*, inquit, *Bezæ*, de triplici Episcopatu pag. 91. *tum ad retinendum consensum, tum ad remedia communibus occurrentibus malis communi concilio quærenda, tum etiam ut iis consulatur, qui particularium illorum presbyteriorum judicio non acquiescunt, & sibi injuriam factam putant. Convocatæ sunt olim Synodi non solum, ut Canones conderent, sed etiam propter causas ecclesiasti-*

cas,

eas, & quæ existunt controversias dissolvendas, & ut omnes quotquot se læsos existimant, Synodicam expectent sententiam. Dixerunt patres *Antiocheni* can. 20. proinde potestas non modo dirigendi per Canones, sed etiam regendi secundum canones, uni permittenda non est: alioqui Aristocraticum ecclesiarum regimen in monarchicum mutabimus.

4. Infert hæc sententia Theologiam curialem Papisticam, quæ omnem concilii & ecclesiæ potestatem in unum Papam redigit, ita hic in unum principem, cum adjuncto evocatorum Theologorum Consistorio: hac ratione ecclesia judicatur in causis sacris aliena authoritate, & subjicitur potestati a suo corpore diversæ & separatæ. Theologi inter alia ex eo Papam esse Antichristum asserunt, quia mandat homines a propriis ecclesiis, quibus subsunt, ad se provocare, & suo judicio ac decreto stare: authoritas huic admodum similis politico principi ex hac sententia tribuitur, dum plures ecclesiæ ei subjiciuntur, provocationes ad ipsum fieri postulantur, judicio decisivo judicandi potestas ipsi vindicatur; ac si ejus potestas esset supra omnes ecclesias. Nusquam Christus subiecit ecclesiam in rebus spiritualibus & pure ecclesiasticis voto decisivo magistratus politici: formam & modum regiminis, quem Christus Propheta in Nov. Testam. in ecclesia

præscripsit immutare, aliosque in causis ecclesiasticis judices substituere velle, peccatum est, & ecclesiæ libertates & jura infringit. Habet ecclesia potestatem a Christo Iesu integram exercendi omnia instituta Christi, quæ ab aliena extrinseca politica potestate in illo exercitio non dependet. Hinc negant Theologi ipsam ecclesiam particularem, apud nos subjici & subordinari alicui corpori, aut potestati superiori extra se existenti, & a se abstractæ & diuisæ: quomodo scilicet servus subjicitur Domino, aut filius patri, aut subditus magistratui, aut discipulus præceptori, aut sacerdos, aut parochi, cum suis cœtibus sub Papatu Episcopis, curiæ Episcopi, capitulo, ecclesiæ cathedrali; breviter ecclesiæ omnes ibidem papæ aut consistorio Cardinalium *Voetius* in Thes. de Clas. & Synod. par. 2. thes. 8. hoc enim ecclesiæ particulari potestatem jure divino debitam aufert & infringit.

Pag. 47. asserit Clariss. Vir. *judicium executionis circa res religionis & Ecclesiæ pertinere ad Magistratum post Synodum; ita ut ipsius officii sit per judicia publica exequi sententiam Synodi.* De hoc generali & ambiguo axiomate notamus.

1. Statuta quædam ecclesiastica posse executioni mandari absque interventu politici Magistratus, per potestatem spiritualem et ministerialem a Christo ecclesiæ demandatam;

quæ

quæ proinde à politica potestate nullo modo dependent: eorum executio ecclesiæ competit non Magistratui: ut videre est in multis institutis circa disciplinam ecclesiasticam in clerum & populum exercendam. Horum defensio, vel tolerantia publica, a Magistratu quidem dependet, sed non executio. Ecclesia enim exercere potest in delinquentes jurisdictionem spiritualem, per censuras ecclesiasticas Matth. 18. 1. Corinth. 5. hoc exercitio, utpote à Christo instituto privari non potest. Magistratus vero sententiam excommunicationis, sive majoris, sive minoris ferre non potest, nec sententiam latam denunciare, seu exequi vi sui muneris; non enim potest princeps vindicare gladio spirituali, aut censuris & pœnis spiritualibus castigare, & reformare errores & enormitates; sequeretur enim potestatem principis esse, non objective tantum & materialiter ecclesiasticam & spiritualem, sed etiam proprie et formaliter. *Gladius regii, censura curiæ; gladius sacerdotalis, ecclesiasticæ rigor disciplinæ*, inquit, *Hildebertus Cenomanensis*, citante *Caldervvoodo*. Hæc duo misceri non possunt divina et humana jura non sunt confundenda, nec gladii temporales & spirituales in unum conflandi, præsertim in ecclesia constituta & florenti: etsi in favorem esset ecclesiæ, nihil tamen injusti statui debet.

Quandoque non tantum decretum, ſed & executio decreti eſt eccleſiaſtica & ſpiritualis actio, & pars operis miniſterii, quæ immediate per ſe ædificationem corporis Chriſti procurat, & perficit; & in ea homo fungitur legatione in Chriſti nomine. hanc executionem eccleſiæ competere non magiſtratui res ipſa demonſtrat.

2. Sunt inſtituta & decreta quædam eccleſiaſtica, quorum executio fit poteſtate civili; utpote quæ ad externum & publicum ſplendorem eccleſiæ, & ſtatum externi hominis pertinent; quæ ab eccleſia, ut ædificationi conſentanea, & commoda judicantur, eccleſiaſtica tamen poteſtate peragi non poſſunt, ſed brachio ſeculari, poteſtate armata, coactiva, politica ſunt perficienda; eorum executio competit magiſtratui, & quidem ſoli; nihil hic eccleſia agit, precibus tantum rogat. Ad hanc executionem legum eccleſiaſticarum referri poteſt κύρωσις Synodicæ actionis, qua conciliorum decreta edicto ſancit magiſtratus, & publica authoritate ſubditis ſuis ea ſequenda demandat; quæ etiam ad magiſtratus curam pertinet. Synodorum decreta habent quidem vim canonum abſque principis aſſenſu; & in delinquentes poteſt exercere juriſdictionem ſpiritualem per cenſuras eccleſiaſticas: attamen abſque legum civilium ſanctione per magiſtratum, ſubditi regni ad obe-

obedientiam decretis Synodicis præstandam cogi non possunt pœnis temporalibus.

Pag. 47. asserit D. Professor, *quod sententia in Synodo constituta non solum sit ecclesiasticorum, sed etiam primo & præcipue ipsius magistratus, ut nobilissimi membri, & directoris totius Synodi.* Ad quam assertionem nos hæc regerimus.

1. Negamus sententiam Synodi esse sententiam, non solum ecclesiasticorum sed primo & præcipue magistratus, etenim:

1. Sententia Synodi non solum esset ecclesiastica, sed primo & præcipue politica, utpote primo & præcipue a politicis politica potestate lata.

2. Sententia in Synodo lata est actio publici ministerii ecclesiastici, qua prædicatur Euangelium; sacra scriptura publice, cum authoritate legationis Christi, interpretatione declaratur ad ecclesiæ instructionem & directionem: talis actio solummodo est ecclesiastica, non primo aut præcipue magistratus.

3. Sententia Synodi est actio publici muneris ex vocatione ecclesiastica præstanda, utpote qua res ecclesiæ nomine ecclesiarum dijudicantur. Vocatio magistratus non est primo & præcipue ecclesiastica; sed solummodo ecclesiasticorum vocatio talis est; ex illa igitur vocatione Synodi sententia lata, solummodo ecclesiasticorum non primo & præcipue magistratus est.

4. Sen-

4. Sententia Synodi fertur potestate ministeriali sub Christo ecclesiæ unico & supremo Legislatore, Domino, Magistro, absque dominio & potestate armata: at sententia quæ primo & præcipue Magistratus est, fertur dominio & potestate coactiva armata. Etenim Magistratus gubernatio subordinatur Deo instar dominatus atque imperii, quod proximum divino est: ecclesiastica vero tantum est familitium sub Deo, simplexque ministerium, Christo sibi dominatum in omnem ecclesiam reservante; recte alibi *Iunius, nulla spiritualis potestas in hoc seculo imperium habet, sed tantum ministerium.* Hinc *Rollocus* in 1. Epist ad Thess. cap. 5. ver. 12. 13. *hoc* inquit *discrimen inter ecclesiam & politiam perpetuo tenendum est; quod in politia substitui possint, ac re ipsa substituantur à Deo & Christo reges alii ac domini corporum, qui imperium habent in corpora & bona hominum, quique etiam hominibus mandant, atque imperant suo nomine. In ecclesia vero non substituantur, neque substituti possunt Deo & Christo, alii reges ac domini, qui conscientiis hominum imperent, ac suo ipsorum nomine mandent iis: verum in ecclesia est unus Dominus tantum, unus Monarcha Iesus Christus, sub quo in ecclesia nullus est ne vicarius quidem dominus, neque caput vicarium; sed sub eo sunt tantum præcones & ministri, qui ipsi non sunt cum imperio, sed imperium & mandata dominorum suorum ut servi exequuntur: licet ut dixi, hoc ipsum mini-*

ministerium in ecclesia, ac dispensatio efficiat, ut ministri aliquo modo præsint aliis, & supra alios eminent. Sententia igitur Synodi non potest primo & præcipue esse sententia Magistratus qui cum imperio & potestative sententias suas fert.

2. Negamus etiam *Magistratum nobilissimum membrum Synodi esse*, ratione muneris sui. In superioribus evicimus, Magistratum qua Magistratum ratione muneris non esse nobilissimum membrum in ecclesia, seu cœtu ecclesiastico, multo minus in Synodis, ubi præcessores ecclesiæ conveniunt: applicentur distinctiones & argumenta ibidem proposita ad hunc locum, & rei scopo accommodentur; et facile judicare poterit prudens lector, quam debili tibicine fulciatur sententia quam Clariss. Vir hic proponit.

3. Laxa, ambigua, et periculosa est assertio hæc, *quod Magistratus sit director totius Synodi.* Nos vero ordinis humani directorem Magistratum in conciliis agnoscimus; illum enim ex officio curare tenetur: totius Synodi vero directorem non agnoscimus. Ecclesiasticos conventus in re sacra, ad finem supernaturalem, per media divinitus sanctificata obtinendum congregatos, potestate ecclesiastica et spirituali dirigi debere res ipsa loquitur. An potestate politica alicujus Magistratus tota Synodus Hierosolymitana Actorum capite decimo quinto, directa fuit?

An

An nihil omnino tractari, aut determinari possit in Synodo, nisi consulto assentiente & dirigente principe? Data est ecclesiæ potestas definiendi & determinandi res suas in Synodis, qua potestate privari non potest. Quid? si magistratus rogatus præfractus tamen & iniquus maneat, an in casu necessitatis cessabit ecclesia? Eædem rationes hic militant quæ in superioribus. Vtinam D. Doctor distincte explicasset quænam, dignitas, potestas, authoritas, aut officium sub titulo directoris totius Synodi comprehendatur: judicii lance expendere tum facile foret, quidquid sententia D. Professoris continetur. Iam vero conjecturis vix assequi possum, quid ambiguis & universalibus terminis velit. Nos vero ne lucem fugere velle, aut fallere videamur (juxta regulam dolosus versatur in generalibus) speciatim & particulatim explicamus, quæ sit illa directio, quæ magistratui competit in Synodis, quam in potestate magistratus obiectiva circa Synodos consistere judicamus. Ad cujus explicationem specialem jam accingimur.

Vt constet quænam potestas obiective in Synodis, quidnamque judicium magistratui competat, positiones hasce hac de re ut certas statuimus.

1. Quod judicium magistratus de rebus religionis, quod exercet ratione muneris, non sit judi-

judicium publicum, ecclesiasticum, Synodale, sed longe ab illo diversum & distinctum. Nam magistratus non est Synodus, aut ministerium ecclesiasticum.

2. Habet magistratus potestatem cognitionis (unde antiquitus cognitores dicti) qua in Synodis præsens ad cautelam, ne in reipubl. detrimentum ibi quidpiam committatur, cognoscit quid agatur.

3. Potest in Synodis, sive præsens sive absens, architectonica potestate providere et impedire ne Synodales quocunque prætextu tractent politica, et res non sui fori: politica enim cognitionis humanæ et politicæ sunt, non autem ecclesiasticæ, servum Dei oportet τὰ ἰδια περιϊδειν quanto magis corpus ipsum servorum Dei.

4. Potest magistratus exorbitantes et tumultuantes in Synodis compellere ad communis honesti et decori, et ordinis ecclesiastici publice recepti observationem. *Junius* ab authoritate publica, seu imperio publicas congregationes in ordine et officio contineri asserit, *Magistratus*, inquit, *ordinis præfectus est, actiones vero deliberationes & definitiones ad substantiam rei ecclesiasticæ pertinentes, à sacerdotio sunt à cœtu servorum Dei, quibus res suæ administrationem mandavit Deus: & quarum ordinem authoritatemque procurat magistratus secundum Deum. Qui huius rei exemplum evidens desideraverit, legat primas*

actiones

ctiones Chalcedonenſis concilii: ubi cum Leonis Romani legati Dioſcorum excludendum clamoſe contenderent, religioſi judices (prout appellantur) negaverunt ex ordine eſſe, ut cauſa incognita extruderetur quiſquam; ſed de facto Dioſcori cognoſci curaverunt, & à conſeſſu jure eccleſiaſtico definiri. Sic juſtum ordinem tutati, ſubſtantiam rei cognitioni eccleſiaſticæ permiſerunt. De Concil. lib. 1. cap. 12. not. 15.

5. Competit et Magiſtratui, qua Magiſtratui, judicium de Synodis earumque decretis, architectonicum, peremptorium, deciſivum, politicum, quod judicium paucis verbis deſcripſit *Cl. Gerſomus Bucerus* pag. 119. diſſert. de gubern. eccleſ. ubi inter τὰ ἐπώνυμα judicii Synodici ſtatuit ὄφιξιν. *quam vocant ſupremi Magiſtratus ſententiam, qua de Synodorum actis, deliberatione habita, eorum confirmationem publico edicto ſancire deſtinabat. Secundarium,* (inquit) *judicium, quod patrum* κρίσει *ſuccedebat, nominari poteſt. Edicta vero quibus imperatores, aut reges conciliorum decreta munierunt, Græci appellabant* διατάγματα, δόγματα, χρυσόβουλα, κυρώντα τὰς συνοδικὰς ἀποφάσεις. *Finis eorum ut acta Synodi vim legis obtinerent. Hic demum* τὸ διαπολιτεύειν *acceſſit, quippe quod a ſolius principis poteſtate promanare poteſt: abeſſe à Synodica actione debuit, utpote mere eccleſiaſtica & miniſtratoria exiſtente, atque ex iuſta conſtitutione ſuam omnibus dicendæ ſententiæ libertatem*

tatem relinquente, nullius que judicium seu terrore aliquo injecto, seu oblata spe, per ostentationem mundanæ potentiæ, corrumpere sustinente. Accuratissime autem hoc judicium certis Aphorismis descripsit *Cl. Voetius*, cujus sententiam subjicio ex thesibus de potestate Eccles. part. 3. thes. 1. Magistratui (inquit) qua Magistratui (non „ qua fideli) omni, & soli, competit judicium „ architectonicum, peremptorium, decisivum „ politicum: quod judicium istis Aphorismis „ describitur. 1. Est distinctum à judicio illo „ sive cognitionis, sive discretionis, quo Magi- „ stratus, aut ut vir bonus & sapiens, aut ut „ ovis Christi vocem ejus in ecclesia audiens, „ pro se in conscientia, sive naturali, sive rege- „ nita dijudicat, & statuit, quid in causa & ju- „ dicio illo ecclesiastico liquidum sit. 2. Ha- „ bet pro objecto suo proprio, directo, & per „ se, non veritatem & pietatem, aut spirituale „ quid in se (circa illud enim versatur judicium „ discretionis aut cognitionis modo dictum) „ sed externa omnia & politica, cum causa illa „ veritatis & pietatis conjuncta. Itaque non „ dijudicat, an quid sit verum, aut pium; sed „ an & quomodo in republica illud tanquam „ fundamentum, aut adjunctum ejus ἀκόλουθον „ stabiliri possit, ut scilicet transeat in materiam „ status. Quod si non, an & quomodo juxta „ cum religione publice recepta defendi de- „

beat: si ne hoc quidem, an & quomodo tole- „
rari possit. 3. Est ergo formaliter intrinsece „
judicium politicum; non vero ecclesiasticum, „
aut Theologicum & sacrum, nec publicum, „
nec privatum, nec antecedens, nec conse- „
quens: nisi quis objective & improprie per „
extrinsecam scil. denominationem, ita appel- „
lare velit, quod scil. versetur circa sacra indi- „
recte, consequenter, & per accidens interes- „
se, & respectus politici, cum re aut causa sacra „
inseparabiliter coniuncti. 4. Potestas huius „
iudicii competit omni Magistratui, infideli æ- „
que ac fideli, idque iure divino, naturali, & hu- „
mano. cuicunque enim competit potestas „
publica, & competit hoc iudicium publicum; „
est enim ecclesia in republica, est in hoc mun- „
do, quamvis non sit de hoc mundo. Hinc est „
quod ad hoc iudicium provocaverit, & co- „
ram eo causam dixerit Paulus Act. 24. & 25. „
& 26. & sic antiqui Christiani, ut videre est in „
egregiis Apologiis Iustini, Athenagoræ, Mi- „
nutii Felicis, Tertulliani: qui postremus & „
professione erat Iurisconsultus, & omnem se- „
culi eruditionem complexus; ut de illo lo- „
quitur Hieronymus. 5. Iudicium hoc nulli „
ecclesiæ, aut ecclesiastico ministro, aut conci- „
lio communicatur; quia potestas eius residet „
in solo summo Magistratu, in ἐξουσίαις κατὰ ἐξοχήν, „
idque iure divino & humano. 6. Qui illud „

cum

cum ecclesiastico confundunt, sive in Syno- „
dis, sive extra Synodos; illi non leviter illud „
violant; & obiectum adiecto, & vice versa „
substituunt, aut cum illo confundunt, & fa- „
ciunt, aut aulam, seu curiam ecclesiasticam, „
aut ecclesiam curialem, seu aulicam; hoc est „
τεχνίλαφον. Sic dum Magistratui quid tribuere „
videntur, reipsa ius maiestatis illi adimunt, „
quod soli illi illibatum erat reservandum; nec „
ille cum ecclesiasticis ad eundem consessum, „
idem tribunal, idem iudicium compingen- „
dus. 7. Iudicium illud de iudicio ecclesiasti- „
co, & circa illud potest formare, ferre & pro- „
nunciare, aut e vestigio coram ipsa Synodo, „
& in loco Synodi (siquidem ita ipsi visum fue- „
rit) aut postea, & inde secedens, in aula aut „
curia sua. Locus enim & tempus rei essentiam „
non constituunt, aut intrinsece immutant. „
8. Iudicium hoc est peremptorium decisi- „
vum, summum, & architectonicum. 9. Itaque „
non est subordinatum ecclesiastico, (quam- „
vis eo sit natura posterius, illudque conse- „
quens) sed ei coordinatum: versatur enim „
circa iudicium ecclesiasticum ratione scilicet „
τῶν πολιτικῶν. cum illo connexorum, seu illi ad- „
iunctorum. 10. Ab illo nulla est provocatio „
ad iudicium ullum, aut ecclesiasticum, aut po- „
liticum, sed tantum ad iudicium Dei. Si quis „
in conscientia illud probare nequit (uti nemo „

tenetur in conſcientia, ullum iudicium curiæ „
adverſus ſe latum approbare, ſiquidem iuſte „
& debite latum non ſit) debet ſaltem obedi- „
ens ei ſe ſubiicere, ferendo, patiendo, aut fu- „
giendo; quia faciendo quod imponitur non „
poteſt. Hoc autem ſic intelligi volumus, ut „
eccleſiæ & eccleſiaſticis, provocationis via, ſe- „
cundum leges reipublicæ fundamentales, ad „
Magiſtratus ſuperiores, imo & inferiores, non „
magis quam aliis quibuſcunque ſubditis in- „
tercluſa non ſit. Sic in Imperio Germanico, „
regnis, Polonico, Vngarico, Bohemico, ſi ſub- „
diti à ſupremis principibus papiſticæ religioni „
addictis graventur, quidni ad electores, aut „
ſtatus, aut Ephoros confugiant: ut antehac „
non raro factum. 11. Vocatur etiam hoc iu- „
dicium approbativum, & nonnunquam exe- „
cutivum. Sed accurate diſtinguendum; an „
ſcriptores abſtracte & præciſe reſpiciant iudi- „
cium diſcretionis, ut ſic; an vero publicum „
ſeu architectonicum, ut ſic; an deniq; utrum- „
que συνδιδυασμὸν. Niſi enim ſua cuique attri- „
buta propria, et utrique attributa communia „
diſtincte aſſignentur; totus controverſiæ ſta- „
tus pervertitur, et incaſſum faragine allega- „
tionum pugnatur: imo tota diſputatio in im- „
peritam λογομαχίαν & σκιομαχίαν deſinit, aut ipſi „
ſibi inſigniter contradicunt, propriaque cæ- „
dunt vineta.“ Huc uſque *Cl. Voetium.*

Hiſce

Hiſce prælibatis ſuccedunt examinanda, quæ Cl. D. Profeſſor de poteſtate Magiſtratus obiectiva circa Synodos in iudicio de religione, decernit.

1. Aſſerit *quod Magiſtratus ſit non vocari Synodum ab eccleſiaſticis, ſed convocare eccleſiaſticos ad Synodum, aut ipſis petentibus permittere Synodos.* De hac quæſtione cuius ſit convocare Synodos, vide cap. ſuper. & ut paucis proponam, quæ ibidem ſunt dicta ſtatuimus. 1. Poteſtatem convocandi Synodos traditam eſſe eccleſiæ. 2. Eius exercitium publice et palam non eſſe exequendum, niſi Magiſtratus aſſenſu, ubi is eccleſiæ æquus eſt & coniunctus. 3. Magiſtratum, cum res eccleſiæ id poſtulant, et ceſſator eſt eccleſia, Synodos convocare, et eccleſiaſticos vi coactiua in Synodum cogere poſſe. 4. Authoritatem cogendi Synodos eiuſque exercitium non tamen abſolute et ſimpliciter pendere a principum poteſtate, ſed in caſu neceſſitatis, cum Magiſtratus rogatus præfractus manet, et ad eccleſiæ poſtulationes animum, et aures obfirmat, eccleſiæ non ceſſandum eſſe ab officio, ſed mutuo conſenſu in Synodos coire poſſe. 5. Collatio huius poteſtatis eccleſiæ tradita eſt a Chriſto; permiſſio exercitii publici huius poteſtatis eſt a principe: poteſtas a Chriſto tradita non tollitur a Chriſtiano Magiſtratu; non minuitur ſed augetur per eum liber-

Digitized by Google

tas ecclesiæ: diversæ sunt potestates ecclesiasticæ & Magistratus, non tamen divisæ. 6. Magistratus in Synodum convenire non potest, cum suffragio decisivo in rebus ecclesiasticis, nisi vocatione ecclesiæ, vel ex studio & postulato Synodi, cum ecclesiarum consensu.

Hæc omnia ut certa asserimus, & corollaria hæc evidenti cõsequentia hinc inferimus. 1. Vbi lege reipublicæ provinciales & ordinariæ probantur Synodi, Magistratus non quidem authoritative vocari ab ecclesiasticis ad Synodum, sed ex ministeriali potestate in nomine Christi moneri & precibus expeti, ut conveniant in Synodum, & munere divinitus demandato, ibidem defungantur. 2. Non esse de essentia Synodi ut convocetur, à Magistratu; sed ex ordine divino Synodum esse convocandam consensu ecclesiæ, & magistratus orthodoxi ecclesiæ addicti assensu. 3. In casu extraordinario, ubi vel ecclesia, vel Magistratus deflexerit a justo potestatis officio & exercitio, ecclesiam, vel Magistratum quædam posse, quæ in Christiano et pio ecclesiæ, et Magistratus consensu, decenter et ex ordine fieri non possunt.

Si hæc axiomata examine accurato et scholastico Vir Cl. expendere velit, experietur consensu reformatorum hæc non destitui, sed ratione Theologica nixa subsistere: expendantur solummodo rationes cap. super. indicatæ, et com-

compertum erit absoluto nostro dictamine hæc non constare, sed solidæ scripturæ rationi inniti. Addo ad consensum judicium ecclesiæ Scoticanæ in nuperrima *Synodo Glasguensi*, in responsione ad Episcoporum protestationem, ex historia rerum nuper in regno Scotiæ gestarum, pag. 111. ubi ad quæstionem *penes quem sit nationalem Synodum convocandi potestas*, Ita differunt Synodici: *etenim licet ingenue fateamur licere supremo Magistratui, cum velit, Synodum convocare: nequaquam tamen omne jus convocandi sic ei tributum dicimus, ut seditionis & læsæ Majestatis rei sint omnes in Synodum coeuntes, sine ejus expresso mandato & consensu: alioqui horum criminum rei essent Christiani tribus primis seculis. Quod si excipias disparem esse ecclesiæ rationem sub Christiano Magistratu, respondent nec illud se negare, ideoque ipsius consensum omnibus modis enixe expetendum; sed quid si renuat ecclesiæ periclitanti dextram hic porrigere, quid si officium hoc præstare fastidiat, aut negligat, quid si cesset officium facere in manifesto ecclesiæ periculo? an seditionis & violatæ majestatis crimen incurret ecclesia, quæ medio hoc necessario, quo urgentibus malis occurri possit, utatur? paria sunt non apparere & non esse; & error cui non resistitur approbatur; & veritas cum minime defensatur opprimitur; negligere imperium cum possis deturbare perversos nihil aliud est quam fovere disp. 83. Can. error. si Magistratus pietatis hoc officium ecclesiæ*

exhibere nolit; ecclesia tamen tam libere jure suo uti nunc potest, quam olim usi fuere primi illi Christiani. Adde quod saniores pontificii, non tantum authoritatis Romano Pontifici (quem tamen ecclesiæ monarcham statuunt) in convocandis concilijs tribuant quam regibus Episcopi. Vide Antonium de Rosellis I. V. D. in monarchia part. 2. cap. 30. & part. 3. cap. 3. qui temporibus Frederici tertii Imperatoris obiit anno 1567. Anthoninum de Dominis Archiepiscopum Spalatensem lib. 2. de republ. eccles. cap. 7. num. 18. Iacobum Almannum Theologum Sorbonistam, qui vixit anno 1510. quorum sententia est, vel reluctante Pontifice Romano licere ecclesiæ in Synodo convenire; posse per viam requisitionis, vel monitionis, denunciative, non per viam authorizationis præceptive, vel invito Pontifice Synodum convocare: hujusque sententiæ hoc fundamentum ponitur, quia ius talis indictionis est iure divino penes ecclesiam. Si quid hæc contra aulæ Romanæ Gnathones valeant in causa universalis Synodi, multo fortius stringent pro iure ecclesiæ in nationalibus Synodis convocandis utpote magis necessariis. Nec hoc negatum Richardo Feildo hierarchicæ dignitatis strenuo defensori, lib. 5. de ecclesia cap. 52. primates olim convocarunt nationales Synodos, quas tamen non legimus specialem singulis conventibus consensum à regibus postulasse: quia tacitum consensum præbuisse putantur imperatores & principes, dum Christianam religionem ipsi amplectuntur, eamque publi-

publice profitendi libertatem ſubditis concedunt: nam principali conceſſo acceſſoria omnia conceſſa videntur, ſine quibus principale ſartum tectum conſervari nequit. Hinc illud eruditi authoris de libertate eccleſiaſtica pro Venetis contra Pontificem, Imperatores, cum libertatem religionis edictis ſuis eccleſiæ conceſſerunt, ſimul ius libere cogendi Synodos illis attribuiße. Nam cultus Chriſtiani hæc pars eſt prorſus neceſſaria & ἀναγκαία, huc uſque Synodici Scoti veræ libertatis zelotæ et vindices.

Aſſerit porro D. Doctor, *quod ubi eccleſiæ deputatos ad Synodum nominarunt, ipſarum ſit rem referre ad Magiſtratum, ſi is iuſtas cauſas non videat eos reiiciendi*; *Vide*, inquit, *Sibrandum* pag. 149. nos vero noxium et nefas arbitramur, abſolute, abſque ulla determinatione, et ſimpliciter aſſerere, eccleſiarum deputatos ex jure divino a Magiſtratu politico eſſe confirmandos. Repugnat non tantum eccleſiarum praxis, prudentia veteris et recentioris eccleſiæ, ſed et jus divinum, et ſanctificata ratio. Ius divinum Synodorum Actor. 15. explicite et formaliter: et Analogice 2. Corinth. 8. 19. 20. Matth. 18. et 1. Corinth. 5. et 14. deſcriptum, ne πῦ quidem de hac Synodicorum confirmatione. Aliis in locis veteris et novi Teſtamenti, ubi de Magiſtratus officio circa ſacra agitur, nuſquam Spiritus ſanctus neceſſitatem huius confirmationis innuit, a qua eccleſiæ deputatio dependeret. Ex-

Digitized by Google

expendat etiam lector attentus rationes subjunctas.

1. Potestas delegandi deputatos ad Synodum penes solam ecclesiam residet, uti cap. super. probatum dedimus. Si potestas, etiam potestatis exercitium: quænam illa potestas, quæ absque alia insuper potestate, eaque politica, in actum deduci non potest?

2. Inter ecclesiæ particularis libertates & jura est, quod possit potestatem suam ecclesiasticam in Synodicam unionem & socialem communionem cum aliis ecclesiis conferre, & certo ordine colligare: Magistratus pius libertates & jura ecclesiarum fovet & roborat, à nutu & arbitrio suo non suspendit: servitus ecclesiæ est in propriis actionibus alienæ & extrinsecæ potestati subjici.

3. Synodus est conventus pure ecclesiasticus non politico ecclesiasticus; utpote qui solummodo nomine ecclesiarum, ad res ecclesiasticas tractandas celebratur: at vero si delegati qui Synodum constituunt à Magistratus authoritate ex jure divino in delegatione sua ad Synodum dependeant, etiam nomine & authoritate principis politici adsunt, ad res ecclesiæ tractandas, & sic conventus erit politico-ecclesiasticus. Concedimus igitur Magistratum pium & ecclesiæ nutricium recte & ex officio divinitus collato agere, cum delegatos ecclesiæ, ad ecclesiæ

preces

preces favore ſuo proſequitur et in delegatione ab eccleſia demandata confirmat, roborat, et publica poteſtate munit: at vero quod eccleſiæ delegationem a ſuo nutu, arbitrio, aut confirmatione ſuſpendat, iniquum eſt, et eccleſiæ jura et libertates infringit.

Statuit et in hac re Cl.D. Profeſſor *Magiſtratum poſſe excludere perſonas ab eccleſiis deputatas, quæ ipſi ob veras & juſtiſſimas cauſas diſplicent, & mandare eccleſiis, ut alios qui idonei ſunt eligant.* Citat ad ſententiam ſuam ſtatuminandam conſenſum Cl. D. *Sibbrandi & VValæi.* Nos cum Cl. D. *Voetio* ita diſtinguimus.

1. Propter cauſas eccleſiaſticas aut Theologicas deputatos nullos arcere poteſt Magiſtratus, quos judicium eccleſiaſticum admittendos ſtatuit. Ratio quia judicandi poteſtas in cauſis eccleſiaſticis ſacris et theologicis eſt demandata eccleſiæ, & a Magiſtratu munere diſtincta eſt et ſeparata: quæ vero ex natura rei, et inſtitutione Dei ſeparata ſunt, confundi non poſſunt. Ob cauſas eccleſiaſticas et Theologicas aliquem a cœtu eccleſiaſtico arcere ad quem ab eccleſia legitime et jure delegatus eſt, eſt judicium formaliter eccleſiaſticum exercere, et pœnam ſpiritualem formaliter eccleſiaſticam infligere. Omnia vero quæ formaliter ſunt eccleſiaſtica a Magiſtratus munere aliena et ſeparata eſſe, in ſuperioribus evicimus ſatis evidenter.

2. Pro-

2. Propter cauſas politicas, veras & juſtiſſimas, ut Cl. Vir recte determinat, ſi politice judicet politiæ ſuæ & ſalutis reipub. intereſſe, poteſt deputatos eccleſiæ prohibere & revocare; ex jure divino enim Magiſtratui incumbit curam reipub. ſuſcipere. Et hinc in caſu graviſſimi implexi incommodi, politici, poteſt eccleſiis errorem in delegatione perſonarnm commiſſum oſtendere & mandare, ut alios qui idonei ſunt eligant. Num autem recte an ſecus Magiſtratus hac in cauſa ita judicat; an res agatur tantum arcano mundano & politico prætextu & ſchemate, id Dei ſolius eſt judicare, cui rationem reddet aliquando Magiſtratus: eccleſiæ autem eſt obedire, & a talium perſonarum delegatione illo tempore eſt abſtinendum; cum conſcientiæ, & publicæ eccleſiarum ſalutis jactura ex ea non dependet.

3. At ſi ex prohibitione & revocatione eorum qui ab eccleſia legitime delegati ſunt, veræ doctrinæ, aut capitalis & ſontica, cauſa dependeat, cui hac methodo jactura, aut ſubverſio paratur; ab eccleſia deliberandum, an remedium imminenti malo procurari nequeat; & ſi Magiſtratus revocationi locum dari non poſſe conſtet, niſi eccleſiæ ſalutem ſubverti, aut periculoſe concuti velimus; ſecedendum potius, & publicis eccleſiarum conventibus & privilegiis renunciandum eſt: nunquam enim illa cum con-

conſcientiæ & publicæ ſalutis jactura emenda ſunt.

Quid autem Clariſſ. D. W*alæus* velit loco à D. Profeſſore citato, patet ex verbis ejus quæ ſubjicio. *Interim*, inquit, *diffitendum non eſt quin Magiſtratus poſſet, accedente eccleſiarum conſenſu, ſeu contentatione*, (hoc enim verbum belgicum, quo utitur W*alæus*, infert) *removere eos, qui notorie affectibus ſuis ducuntur, & magis propriæ gloriæ ſtudent, quam paci eccleſiæ: modo diligenter caveatur, ne fidelis Micha, uti ſub Achabo; neque pius & probus Athanaſius, uti ſub Conſtantio in omnibus Synodis factitatum; id eſt veri veritatis propugnatores, ſub hoc prætextu excludantur.* Quid *Sibrandus* de hoc & præcedenti caſu ſenſerit & quatenus cum noſtra, vel Profeſſoris *Vedelii*, ſententia conſentiat, vel diſſentiat, vide Lector pag. 148. uſque ad pag. 150. ejus ſcripti contra *Grotium*. Ita, inquit, "hic mihi fortaſſis objeceris, fieri poſſe ut eccleſiæ aliquem eligant, qui „ non ſunt admodum idonei, vel ut illos qui ſunt, „ maxime idonei prætereant. Sed idem fieri po- „ teſt à Magiſtratu. Deinde veriſimile eſt eccle- „ ſias rectius noviſſe, quinam in ſuis cœtibus „ ad eas actiones idonei ſunt, quam ſupremus „ Magiſtratus. Fieri enim poteſt ut ſupremus „ Magiſtratus, puta Conſtantinus Magnus, o- „ ptime ſciat, quinam in ea urbe in qua ipſe ha- „ bitat, ſint maxime idonei; & nullam prorſus „

noti-

notitiam habeat eorum, qui in Lybia, Hiſpania „
& aliis provinciis remotioribus eccleſiam ad- „
miniſtrant. A Magiſtratu igitur hic facilius „
errari poteſt, quam ab eccleſia. Sed ſuperva- „
cua fortaſſis fuerit hæc ſollicitudo. Majores „
enim noſtri quantum humana providentia „
fieri poteſt, diligenter caverunt, ne quid tale „
in hac re accideret. Vt enim hic vel nullus „
omnino, vel minimus locus relinqueretur er- „
rori, obſervatum fuit hactenus, ut qui com- „
muni Paſtorum & Presbyterorum conſen- „
ſu in aliqua provincia, puta in Friſia, electi „
ſunt, repræſententur ſupremo Magiſtratui, „
hoc eſt, ordinibus Friſiæ, ut ad electionem ab „
eccleſia factam conſenſum adjungant, electoſ- „
que ſua authoritate confirment; ſi illos ido- „
neos eſſe judicaverint; aut ſi vitium in electio- „
ne admiſſum eſt, eccleſiis errorem oſtendant, „
mandentque ut alios qui idonei ſunt, eligant; „
ut illi qui ad Synodum mittuntur, communi „
conſenſu ab eccleſia electi, & a Magiſtratu ap- „
probati, totius univerſitatis nomine de iis, quæ „
in Synodo proponuntur, deſpiciant. Hoc mo- „
do manet eccleſiæ ſua libertas, & Magiſtratui „
ſua conſervatur authoritas. Sed hic diligenter „
cavendum eſt, ne Magiſtratus illos, qui ab ec- „
cleſia electi ſunt, niſi ob juſtam & evidentem „
cauſam reprobet & rejiciat. Si acciderit ut ab „
eccleſia aliquis prætereatur, qui Magiſtratus „

judi-

judicio magis idoneus esse judicatur, aut Ma-„
gistratus aliquem commendet, qui ecclesiæ „
non usque adeo probatur: cogitandum est nos„
neque ipsos perfectos esse, neque vivere cum„
perfectis; & ob eam causam alterum alterius„
infirmitatem in hujusmodi rebus ferre debere.„
Videmus hoc quotidie accidere in politia ci-„
vili; sæpe enim fit ut vir juvenis & rerum im-„
peritus ad Magistratum civilem promoveatur„
& senes rerum politicarum peritissimi, & lon-„
go usu edocti negligantur: neque tamen pro-„
pterea illi qui negliguntur, vel seipsos citra vo„
cationem ingerere, vel turbas movere debent.„
Societas enim humana conservari nequit, nisi„
quisque sese intra limites vocationis suæ con- „
tineat, et publicum honorem publicamque „
authoritatem sibi non sumat, nisi legitime vo-„
catus.“ Hæc Sibbrandus. Video & novi au-
thores citatos, uti & alios quosdam ex Reforma-
tis ex συγκαταθέσει quadam confusionem aliquam
aut collateralem conjunctionem, & combina-
tionem utriusque potestatis ecclesiasticæ & po-
liticæ in executione regiminis & in particulari-
bus casibus quandoque admittere; & ita lim-
pidæ Theologiæ politicas considerationes ad-
miscere. Sed facta & dicta humana non faci-
unt jus divinum, nos de jure disputamus quo
conscientiæ informari debent, ne quispiam si-
bi aliquid tribuat, quod Deus ipsi non tribuit.

Porro

Porro pag. ita differit Clariſſ. vir de poteſtate Magiſtratus obiectiva in Synodos; *extraordinarie Magiſtratus etiam poteſt nominare perſonas, quas Synodo intereſſe cupit; maxime ubi eccleſia turbatæ vehementer ſunt, aut earum reformatio inſtituitur: quo ultimo in caſu poteſt uti doctoribus quos præſens opportunitas ipſi ſuppeditat; vide eoſdem locis citatis.* Ad hæc nos ſubjicimus.

1. Notam Clar. Franciſci Iunii de Concil. lib. 1. cap. 12. not. 18. *deficiente conjunctione Magiſtratus, poteſt aliquid eccleſia extra ordinem facere, quod ordinarie non poteſt: & contra deficiente eccleſia ab officio ſuo, poteſt Magiſtratus extra ordinem procurare, ut eccleſia ad officium redeat: hoc eſt eo in caſu extra ordinem contingente, hi & illi extra ordinem aliquid poſſunt, quod ordinarie non poſſent, id enim juris communis eſt, extraordinariis malis remedia etiam extra ordinem adhiberi oportere.* In caſu extraordinario cum collapſa eſt reſpublica exiſtimat *Iunius* ſacerdotes multa poſſe ſubire, quæ ad civilem adminiſtrationem pertinent: ita enim ad exemplum *Heli* ſummi ſacerdotis: *quod extra ordinem functus ſit adminiſtratione reipubl. quo tempore non erat in Iſraele rex, ſed unuſquiſque faciebat, quod bonum videbatur in oculis ſuis, ut aliquoties dicitur in libro judicum. A re autem extraordinaria non valet conſecutio. Aliud enim eſt rempublicam deſertam erigere, quod etiam ſacerdos extra ordinem præſtare poteſt, quum à Deo*

aut

aut à publico vocatus est: aliud ordinariam reipubl. administrationem susciperé, quod jure sacerdos non potest, ut serviat mundo obstrictus, & mancipatus per sacerdotalem functionem Deo; in Bellarm. Controv. 3. lib. 5. cap. 9. not. 5. sic extraordinarie deficiente ecclesia, vel ecclesiis ita turbatis, ut nullus ordo ecclesiasticus appareat, Magistratum quidquam posse, ut etiam fideles & membra ecclesiæ, quod in ecclesia constituta in exemplum & regulam trahi non potest, certum est.

2. Adjungo judicium *Cl. Voetii* de potestate Magistratus circa ecclesias turbatas, ubi earum reformatio instituitur. De potestate ecclesiastica part. 2. quæst. 1. & 2. *quæritur, an Magistratui competat ecclesiastica doctrinæ repurgatio, & ecclesiæ reformatio? Resp. competit ipsi ecclesiæ. sic tamen ut Magistratui tribuatur, primo juxta cum aliis fidelibus Charitativa reformatio. Deinde eidem soli Politica & authoritativa; tum antecedens compulsio ad ecclesiastice antehac constitutæ & receptæ, ac politice approbatæ, sive doctrinæ, sive disciplinæ observationem, aut restitutionem: tum concomitans directio circa reformationem: tum consequens confirmatio, defensio, & executio ejusdem. Et sic exponendi sicut actus primi reformationis in Germania, Helvetia, &c. si quid in tam horrenda ecclesiæ corruptione, & Clericorum ἀταξίᾳ, ab hac regula exorbitaverit; id tanquam factum particulare, regulam*

non facit in ecclesiis jam constitutis & reformatis. sed de his fuse disputavimus in desper. causa Papatus. II. *Quæritur, an sine magistratus judicio & consensu, nulla collectio, aut restitutio & reformatio ecclesiastica institui possit. Resp. neg. & probant exempla Apostolorum, & orthodoxorum tempore grassantis Arianismi, aut alterius hæreseos. quos imitati sunt Reformatores in Gallia, Belgio, &c. Quod ad ecclesias publicas, quæ à Magistratu tanquam nutritio sustentantur, si ejus consensum obtinere nequeant, & rei necessitas ita postulet in segreges cœtus coibunt; & si ne hoc quidem concedatur, clandestinos conventus agent, atque ita reformabunt: quod si fieri nequeat, pii inde discedent, cœtus dissolvent, & fuga conscientiæ consulent.*

3. Addo dissertationem Gravissimi viri *Gersomi Buceri* de potestate fidelium, & inter eos præcipue pii Magistratus, in corrupto & perturbato ecclesiæ statu; De qua ita inquit pag. 106. 107. dissertat. de gubern. eccles. *Jam corruptum ecclesiæ statum voco, in quo sana doctrina & legitima politia sic depravatæ sunt, ut propter errorum magnitudinem, & parricidiorum immanitatem de facienda discessione fideles cogitationem suscipere cogantur. Hic vero prius omnia honesta media tentare, & restituendæ rei perditæ undecunque subsidia conquirere, quis unquam sanæ mentis illicitum oppressis ecclesiis judicavit. Corruptis enim ordinariis ecclesiæ judicibus, ipsa ratio suadet ab aliorum*

rum fidelium, maximeque doctrina & iudicio & virtute præstantium, sapientia, & æquitate, præsidium aliquod mutua. Quemadmodum enim hostibus infesto agmine in urbem irruentibus, non solum qui excubias habent, militiamque sumserunt, sed etiam civium quique fortissimi se obiiciunt; ita communi pernicie ecclesiam pervadente, non modo qui publici ministerii sacramento obligati sunt, verum etiam è laicis præstantissimi quique, in commilitium ad tempus adsciti, certamini sese offerunt.

4. Finem impono subnexo nostro judicio, ejusque rationibus; quod tamen judicio peritorum subjicio. Cum turbæ vel sectæ in ecclesia grassantur, & interim formam, seu ordinem gubernandi retinent, quamvis partes dissidentes secessionem à se invicem fecerint; Magistratum tamen jus deputandi ad Synodum sibi arrogare posse, non arbitramur rationi theologicæ convenire. Rationes nostræ sententiæ sunt; quia Magistratus hic exemplis scripturæ & ratione Theologica destituitur. Quia cœtus non ecclesiasticus, sed politicus ex illis deputatis constitueretur. Magistratus solus qua Magistratus non est ecclesia, proinde ecclesiasticam functionem dare non potest. Iudicium omnium actionum, quas Magistratus supremus qua talis agit, ipsi soli competit, & imperiali potestate in eo versatur; quantis periculis ecclesiæ negotia exponantur, cum solus Magistratus judicio ar-

chitectonico ſubjicitur Synodorum convocatio, celebratio, & Synodicorum delegatio, audivimus nuperrime ex *Gerſomo Bucero.* Proinde quidquid Magiſtratus in corrupto & turbato eccleſiæ ſtatu peragere vult, in, cum, & per eccleſiam, tutiſſime, & magis legitime ex jure divino, peragendum eſt.

Statuit eadem pag. D. Profeſſor, " quod, ubi Synodi initium eſt faciendum Magiſtratus ſit „ comparere in ea, aut per ſe, aut per delega- „ tos ſuos, ſive deputatos." Huic axiomati apponimus judicium *Cl. Voetii*, cui calculum noſtrum adjicimus, de poteſt. eccleſ. part. 3. theſ. 1. quæſtion. 7. " Quæritur an Magiſtratus per ſe, aut per ſuos delegatos debeat intereſſe Syno- „ do? Reſp. nulla hic eſt abſoluta neceſſitas, nec „ ex parte Synodi, nec ex parte Magiſtratus. Non „ ex parte Synodi; quia Magiſtratus ejus par- „ tem non conſtituit, nec eſt de ejus eſſentia, ut „ videre eſt in prima & perfectiſſima Synodo „ Act. 15. aliiſque illius exemplo, tum in pri- „ mitiva eccleſia, tum in reformata, habitis. „ Non ex parte Magiſtratus, ſiquidem tales no- „ vit eſſe Synodales, taliſque ſit rerum in repu- „ blica conſtitutio, ut nulla ſit juſta ſuſpicio, „ præter boni civis officium, aut in mutuam per- „ niciem, aut in reipub. detrimentum, ibi quid- „ quam committendum: inter bonos bene agier „ oportet. Si tamen in contrarium ſit præ- „ ſumptio,

sumptio, aut alioquin ad abundantem caute-„
lam ita velit Magistratus, utique contra com-„
paritionem & præsentiam ejus, nihil excipien-„
dum. Immo nonnunquam ecclesia ipsa quam-„
vis Magistratus nollet, aut non urgeret, præ-„
sentiam ejus utiliter requirit. Nullam hic dis-„
tinctionem facimus inter Magistratum fide-„
lem & infidelem, orthodoxum aut heterodo-„
xum, pari jure uterque præsentiam suam ur-„
get, & pari jure admittendus est. Sic hodie rex „
Galliæ per delegatum suum interest Synodis „
nationalibus nostrorum."

Pag. 50. statuit Reverendus D. Professor, Magistratus esse præsidere in Synodo, ita ut „ quemadmodum minister aliquis ecclesiæ ele-„ ctus, & ministerialis præsens est, quia mini-„ ster est, ita ipse, ut princeps, sit præses jure suo „ & quidem principalis." Nos vero concedimus quidem præsidentiam externam & politicam; quæ tamen potest adesse, & abesse citra subjecti corruptionem, aut pejorem statum, Magistratui jure suo convenire: præsidentiam vero intrinsecam, ecclesiasticam, Synodalem, & vere principalem Magistratui jure suo competere negamus: eamque ecclesiasticis ex Synodi electione adjudicamus. Præses politicus omnia politica, humana, biotica cum Synodo conjuncta, & annexa, quæ externa eius sunt accidentia, architectonica potestate gubernat. illa vero quæ

Proprie sunt Synodalia, & cœtum illum, quatenus Synodus & ecclesiasticus conventus est, consequuntur, insunt, & adiacent, diriguntur potestate ministeriali à Synodi præside ecclesiastico, ex iure ecclesiastico, per electionem Synodi. Audiatur *Iunius* qui suo iudicio viam hic indicat & complanat, de Concil. lib. 1. cap. 19. not. 1. & 12. "Summa nostri sermonis hæc est (inquit) Concilium generale factum esse extraordinarium, non nisi in gravissimis universæ ecclesiæ causis convocandum: ac propterea extra ordinem, pro re nata, de præside videndum esse. Cum autem actus ordinis sit plane politicus, & causa ecclesiastica: magistratum summum oportere præsidem esse, ad ordinis humani conservationem; ad res vero fidei & ecclesiæ, id est, ad causam ipsam, præsidem electivum esse." Item not 12. "Constantinus ordini humano præfuit, licet causæ non præfuerit, neque iudicium in confessu tulerit: ubi Christus solus iudex per scripturam suam in spiritu, homines sunt administri. Nos propterea docendi causa ita statuimus, prout etiam de Primatu dicebamus controv. 3. præsidium, sive præsidentiam esse aut ordinis humani, aut actionis ecclesiasticæ in conciliis universalibus. Ordinis humani præsidentia ad summum Magistratum pertinet, non ad quemquam ecclesiasticum. Actiones vero ecclesiasticæ

ecclesiasticæ in illis conciliis præsidentiam du-„
plicem desiderant: universalem totius Syno-„
di, & particularem regionum ad concilium il-„
lud convenientium. Vniversalis præsidentia„
quia extra ordinem est, electione in legitimis„
conciliis fuit olim attributa: quemadmodum„
Hosius Cordubensis, exempli causa, electus„
est, qui præesset concilio Nicæno primo. par-„
ticularis vero fuit ordinaria: ita Romanus Pa-„
triarcha in conciliis œcumenicis præerat occi-„
dentalibus ecclesiis, suffragia earum collige-„
bat, & in commune conferebat, & sub eo„
item suo ordine Metropolitani: meridianis,„
Alexandrinus: orientalibus, Antiochenus:„
septentrionalibus Ponticis, &c. Constanti-„
nopolitanus: Hierosolymitanus primo fuit„
honorarius, sed post aliorum exemplo Po-„
mœria sua dilatavit, ut actione 7. & 8. Chal-„
cedonensis concilii ostenditur. " Idem sentit
Amesius in *Bellarm.* de Concil. cap. not. 4. " præ-„
sidentiæ ratio duplex est, politica et ecclesia-„
stica. Politice præsidebat summus Magistra-„
tus, ecclesiastice autem ille et illi, quibus mu-„
nus illud (ordinis non potestatis respectu)„
communi consensu deferebatur. Sic in conci-„
lio Nicæno, Constantinus præses fuit, quoad„
potestatem politicam, ordine autem ecclesia-„
stico, vel Hosius Cordubensis, vel Mararius„
Hierosolymitanus, et Eustachius Antiochenus.„

Probatur hæc orthodoxorum sententia hisce rationibus. 1. Praxi ecclesiæ Apostolicæ et priscæ, de qua vide apud Antagonistas *Bellarm. Iunium*, *Wittakerum*, *Chamierum*, *&c.* legatur cap. 15. actorum cum commentariis reformatorum. Adiunge *Iunii* notam 34. cap. 19. lib. 1. de Concil. ubi ex litteris *Theodosii* et *Valentiani* Impp. ita disserit ad *Bellarmini* exceptionem. Dilutiora sunt et figidiora ista, quam prout „ litteris Theodosii et Valentiani exponuntur. „ Prius enim sic illi dixerant, cum omnia quæ „ prosunt reipubl. nobis admodum curæ sunt, „ tum imprimis quæ ad pietatem pertinent: „ propter quæ etiam reliquorum bonorum „ contingit hominibus subministratio. Ac pro „ pterea prius quidem quæ opus erant rescripsi- „ mus, ut pietas vestra in Metropolim Ephe- „ siorum conveniret. Quoniam vero etiam cu- „ rari ex officio decentem εὐταξίαν ordinem et „ tranquillitatem contemplationi, vel discussio- „ ni sanctissimæ Synodi vestræ oportebat, ne „ hoc quidem prætermisimus, ut ipsi ex omni „ parte vacuitas, à turbis existeret, &c. postea „ vero illius ἀταξίας (ut illi vocant) partes mi- „ nutatim exponuntur ad actionem Synodi, & „ ad discussum pertinentes, cum imperatores „ addunt; Candidianus itaque magnificentissi- „ mus sacrorum domesticorum comes, manda- „ ta accepit, ut ad sanctissimam usque vestram „

Syno-

Synodum tranſeat, & tum nihil ipſe cum „ quæſtionibus, quæ de dogmatis ſunt commu- „ nicet (nam eum qui extra Catalogum ſanctiſ- „ ſimorum Epiſcoporum eſt, eccleſiaſticis diſ- „ cuſſionibus immiſceri nefas) hominesque ſe- „ culareis & monachos, & eos qui jam propter- „ ea convenerunt, etiamque conventuri ſunt „ omnino ab ea urbe excludat, quandoquidem „ non oportet eos movere turbas, qui nihil ſunt „ ad futuram dogmatis diſcuſſionem neceſſarii, „ ac proinde ea impedire, quæ ſanctitate ve- „ ſtra in pace informari debent; & curet ne qua „ diſſenſio ex contraria perturbatione amplius „ inferatur, ut diſcuſſio veſtræ ſanctiſſimæ Sy- „ nodi ex eo non impediatur, accurataque veri- „ tatis inquiſitio, incidente forſan inordinata „ circumductione, compulſetur; ſed unuſquiſ- „ que cum tollerantia dicentes audiens, propo- „ nat, vel opponat, quod videtur, &c." *Hic certe* (inquit *Iunius*) *omnibus modis imperatores ordinis cuſtodes & vindices, non ſolum extra Synodum arcendis impedimētis, ſed etiam intus in Synodo abigendis, honeſtati publicæ atque ordini videmus conſulere. Hæ imperatorum & ſummi Magiſtratus partes.*

2. Præſidere in cœtu eccleſiaſtico ad res fidei religionis & eccleſiæ, id eſt, ad cauſam ipſam ſpiritualem dijudicandum, actus eſt formaliter eccleſiaſticus, qui modo eccleſiaſtico, in re ſacra, ad finem ſpiritualem, in nomine omnium

ecclesiarum, peragitur. Proinde potestate politica peragi non potest.

3. Præsidentiam, non authoritativam politicorum, perpetuam, immutabilem; sed ecclesiasticorum mutabilem, temporariam, postulat regiminis Aristocratici ratio in ecclesiasticis cœtibus servandi, si æqualitatem illam sartam tectam servari velimus, quæ inter optimates potestate pares, esse debet.

4. Primatus potestatis a coetu ecclesiastico est removendus, qui præest in concilio libero cæteris gradu potestatis superior esse non debet: nam tametsi in Synodo sileat potestatis exercitium, metu tamen cæteri non liberantur: primatus ergo & præsidentia perpetua Magistratus politici, qui imperiali potestate gaudet, a libera Synodica actione removenda est.

5. Prostasiam perpetuam, superiori authoritate & jurisdictionis potestate munitam, rejiciunt omnes reformati, in archiepiscopis seu metropolitanis, ut quæ ansam præbuit ambitiosis certaminum & litium, & quæ tyrannidem, & violentam dominationem in ecclesiam, sanguine Iesu Christi liberatam & liberam, introduxit. Quæ certe fundamenta jure etiam valent contra perpetuam & potestate coactiva superiorem prostasiam politicorum. Lubet apponere testimonium doctissimi *Zelotæ* in hac causa Dei de regimine ecclesiæ *Davidis Calder-*

vvoodi,

vvoodi, qui ita differit de præsidendi prærogativa in Synodis *Altaris Damasceni* pag. 49. *natura suadente, Apostolica ecclesia exemplo suo præeunte, & necessitate flagitante, coierunt vicini Episcopi ejusdem provinciæ, regionis, aut præfecturæ civilis, ut canones conderent, hæreses & suppullulantes errores supprimerent, aliaque communia ecclesiarum suarum negotia curarent. Non erat penes unum convocandi & præsidendi prærogativa: sed ex condicto, & communi consensu, vel Synodi decreto & indictione, Synodos provinciales indixerunt, & præsidem elegerunt, vel qui ætatis, ut in Synodo Ponti-palmas, vel qui donorum ratione maxime idoneus, sive is esset Metropolis Episcopus, sive alius aliquis. Postea alligata tum convocandi, tum præsidendi prærogativa Metropolitano, sed absque jurisdictione: eratque mera prostasia, quamvis perpetua: verum quia perpetua etiam periculosa, & in jurisdictionis potestate postea facillime mutata. Pessimo exemplo sedibus & locis prærogativas alligarunt, ac si Spiritus sanctus ipsis etiam sedibus alligatus esset; cum deterrimi quique sæpe sunt primi, qui in administrando æque insolentes esse solent, inquit Bilsonus, ac in assequendo impudentes fuerunt. Ex throni prærogativa orta est violenta, & Tyrannica dominatio. Hinc illæ lachrymæ, & votum Nazianzeni, utinam, (inquit)* μηδὲ θρονδεία, μηδὲ τις τότε θρονίμησις ἢ τυραννικὴ πρωτομία *esset, ut ex sola virtute cognosceremur. Proedria igitur, & loci prærogativa, Tyrannica &*

ca & violenta dominationi viam complanarunt. Imprudentes quidem veteres, nescii quis vel qualis futurus esset antichristus, mysterium iniquitatis, quod Apostolorum temporibus peragebatur sedulo promovebant, &c. Applicentur hæc politico principali præsidi, ex jure suo, a *Vedelio* hic depicto, & vide lector án via nõ sternatur ad Papatum politicum.

Eadem pag. 50. asserit Vir Cl. *quod judicium Synodi publicam authoritatem habere non potest, nisi, ad Synodi petitionem, illud à Magistratu summo confirmetur.* Quod nos ut ambigue dictum ita distinguimus: judicium Synodi absque Magistratus confirmatione non transit in legem aut materiam status; a Magistratu publica vi, aut authoritate externa, armata, non defenditur, aut propugnatur; non habet authoritatem politicam, externe coactivam, qua repugnantes & malignantes judicio Synodi vi subjiciuntur, & compelluntur ad obedientiam. Attamen Synodi judicium habet authoritatem publicam ecclesiasticam, absque Magistratus confirmatione; qua statuta Synodica transeunt in canones & leges ecclesiasticas; & potestate coactiva spirituali, verbi, admonitionis, & disciplinæ ecclesiasticæ defenduntur, stabiliuntur, propugnantur; & repugnantes ad eorum obedientiam compelluntur. Hæc enim potestas immediate a Christo ecclesiis particularibus, & combinatis est attributa & concessa; et requirit eam ædifica-

ficatio eccleſiæ. In politia eccleſiæ Anglicanæ cap. 1. de primatu regio, ita habetur, *nihil habet vim legis, priuſquam regius aſſenſus fuerit adhibitus iis, quæ Synodus decernenda cenſuerit*; quid ad hæc eccleſiaſticæ libertatis acerrimus aſſertor *Caldervvood.* pag. 16. *Altar. Damaſc. Si iſte ſit ſenſus, quod ſubditi ad obedientiam cogi non poſſint pœnis temporalibus, abſque legum civilium ſanctione amplectimur. Sin vero iſte ſit ſenſus, quod nihil habebit vim canonis abſque principis aſſenſu, nec poſſe eccleſiam in delinquentes exercere iuriſdictionem Spiritualem per cenſuras eccleſiaſticas, nulla æquitate ſubſiſtere videtur.*

Rationes quæ ſententiam hanc noſtram probant in promptu ſunt. 1. Conſtat apud reformatos, Synodos eccleſiaſticam miniſtratoriam ſententiæ dictionem, & definitivam poteſtatem habere, qua decreta ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ edere, & eccleſiis imponere poſſunt; uti in ſuperioribus probatum.

2. Adde rationem *Cl. Iunii*, qui cum *Bellarmino* aſſereret ſummum Pontificem non poſſe committere, neque concilio, neque ulli homimini, ſupra ſe iudicium coactivum, ſed tantum diſcretivum; neque poſſe judicem proprie dictum ſupra ſe conſtituere, ſed tantum quodammodo arbitros, quorum ſententiæ ſi non obtemperaverit, faciet quod non debet, non autem quod non poteſt. "Veriſſima, inquit, Iunius,

nius, est propositio; non potest committere; „ quia id commisit Deus concilio, atque consessui legitimo. Quapropter nos e contrario dicimus, nec potest committere (nam si servus „ Dei est, judicium de ipso commisit Deus ecclesiæ suæ) nec potest rejicere; sed quamvis „ nolit, tenetur tamen & de ipso ecclesia judicare, & ipse subire judicium ejus discretivum, „ atque coactivum, utcunque dici placuerit.„ Concedimus (igitur) id quidem non posse ipsum judices constituere in rem suam, quia „ jam ipsos constituit Deus per Apostolum dicens, Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur 1. Cor. 14. 32. & arbitros posse constituere: sed hoc insuper addimus, quos commisit judices Dominus, eos nullo jure ab ipso reji ci aut declinari posse." *Junius* lib. 2. de Concil. cap. 18. not. 1. 2. Si omnes, etiam maximi in ecclesia subjiciuntur a Deo concilio prophetarum authoritate verbi; quod igitur a Concilio prophetarum statuitur, canonis vim obtinet, cui spiritus aliorum prophetarum subjiciendi sunt, etsi arresto (uti vocant) principis non confirmetur.

3. Adjungo locum ad Heb. 13. 17. si ductori & pastori ecclesiæ obediendum & obtemperandum sit, cum iure officii ecclesiæ eiusque membris in nomine Domini aliquid mandat; quanto magis ipsi corpori servorum Dei; cum ministeriali

ſteriali iudicio & miniſterio ex tabulis mandati limitato, præconum inſtar, aliquid in nomine Chriſti pronuntiat & mandat. Synodo etenim non tantum inquiſitionem veri, iuſti, ſancti, religioſa communicatione, ſed & ſententiæ dictionem miniſtratoriam competere, cum theologis ſupponimus.

4. Militat & ratio pro theſi noſtra: fruſtra enim conditi ſunt canones Synodorum, qui approbatione magiſtratus non ſtatuminantur: fruſtra data eſt eccleſiæ poteſtas condendi canones, ſi eos publica eccleſiaſtica poteſtate executioni mandare non poteſt, nec cenſuris ſpiritualibus in delinquentes animadvertere. Eccleſia ſufficienti poteſtate a Chriſto eſt inſtructa, qua poſſit ſibi in caſu confuſionis, erroris, ſchiſmatis, prophanitatis etc. proſpicere, ut ingruentia mala arceat & delinquentes reprimat; quæ abſque publica authoritate iudicii eccleſiaſtici haberi non poſſunt.

Pag. 51. in reſponſione ad animadverſiones ad quæſt. 5. ſtatuit D. Profeſſor *quod Magiſtratui iudicium de rebus fidei competat, ut cuſtos & vindex eſt legis divinæ*; quod tanquam fundamentum ſuæ ſententiæ, Vir Cl. hic innuit, ſe propoſuiſſe. Nos vero judicamus jus illud, quod Magiſtratus ſit cuſtos et vindex utriuſque tabulæ legis, ei non tribuere poteſtatem formaliter judicandi in Synodis, de rebus pure & formaliter

ter ecclesiasticis; sed inferre tantum potestatem illam objectivam circa Synodos, de qua in superioribus; qua Magistratus permittit, hortatur, procurat, ut res formaliter ecclesiasticæ ab ecclesiasticis legitime in Synodis judicentur; & judicium Synodi, post judicium discretionis, non tantum ut membrum ecclesiæ approbat; sed etiam ut Magistratus defendit, & malignantes ad obedientiam cogit; si illud reipublicæ utile, & conveniens judicaverit.

Probatur nostra sententia. 1. Quia Magistratus ex eo quod custos et vindex sit legis, etiam est defensor ecclesiæ; uti recte Cl. Vir infert, proinde officia, jura, & libertates ecclesiæ ad se non rapit; sed munit & adversus omnes oppressiones & confusiones defendit.

2. Magistratus custos & vindex est legis potestate externa, armata, coactiva: judicium de rebus fidei, & in causa pure & formaliter ecclesiastica, non fertur in Synodis potestate armata, politica, coactiva, sed ministeriali, & spirituali.

3. Magistratus, quamvis vindex & custos tabularum legis, quatenus talis, nec prophetiæ dono, nec vocatione ecclesiastica gaudet, quæ tamen ad judicium Synodale de rebus fidei, & causis formaliter ecclesiasticis, ex jure divino, & ordine divinitus sancito requiruntur. Alia argumenta ex generali & particulari parte hujus tra-

tractatus huc facile applicari & aptari possunt: ex quibus liquido appareat, quam nullum sit hoc fundamentum, quod Vir Clariss. suæ sententiæ substernit, ex titulis & jure vindicis, & custodis tabularum legis desumptum.

Pag. 52. Statuit D. Doctor, *quod magistratus de rebus fidei & causa religionis suffragio decisivo in Synodis formaliter iudicet, ut iudex, qui custos est utriusque tabulæ legis, gladio corporali armatus, & potestate coactiva externa, adeoque ut defensor ecclesiæ.* Id vero existimamus naturæ Synodi & conventus ecclesiastici, praxi Apostolorum, rationi Theologicæ, Spirituali Christi regno, & toti ministerio ecclesiastico repugnare: nullum enim judicium ecclesiasticum in rebus religionis, & formaliter sacris agnoscimus, nisi ministeriale, potestate spirituali verbi & disciplinæ instructum, nomine Christi ferendum: ad quod nulli admittendi ex jure divino, nisi qui ecclesiasticam vocationem in spirituali regno Christi possident. Optime *Iunius* de Conciliis lib. 1. cap. 18. not. 1. "sententia Concilii per se ipsam suasionis non coactionis est. Iudicium mini- „ steriale, non authoritatem per se, necessita- „ temque afferens: prout est judicium œcono- „ miæ, vel dispensationis in domo aliqua, vel „ familia præsentis Domini." Hoc si verum sit, uti id testatissimum est apud omnes reformatos, non video quomodo authoritate imperiali,

Digitized by Google

& architectonica potestate, magistratus ut nobilissimum membrum, & director totius Synodi formaliter in Synodo judicare possit.

Eodem loco asserit D. Professor, *quod pastores judicent in Synodo, ut ministri Christi & ecclesiæ, adeoque non judicent ut delegati à Magistratu, quam sententiam Arminianorum expresse reiicit in proœmio.* Quod quomodo conveniat cum propositionibus Cl. Viri superioribus non video. Statuit deputatos ecclesiarum a Magistratu in sua legatione esse confirmandos; ita ut Magistratus potestatem habeat eos rejiciendi & excludendi a Synodis, si ita videatur, ob justas causas, etiam postquam judicium ecclesiasticum eos admittendos statuit: hinc igitur nemo ad Synodum vocatus aut delegatus, nisi qui a Magistratu confirmatus est. Iam vero cujus est ministros eligere, ejus authoritate ministratur; authoritate ecclesiæ et Christi in Synodis judicantur res fidei, et non Magistratus: Christi et ecclesiæ igitur est, ministros illos eligere et deputare, non Magistratus. Qui vero statuit pastores ut deputatos ad Synodum non esse electos et delegatos, imo ab ea esse excluſos, nisi a Magistratu confirmati mittantur; necessaria consequentia eos magistratus authoritate dijudicare in Synodis statuit. Deinde qui statuit Magistratum extraordinarie posse nominare personas, quas cupit interesse Synodis, maxime ubi eccle-

eccleſiæ turbatæ vehementer ſunt: ille ſtatuit etiam extraordinarie judices illos judicare in Synodis, ut delegatos a Magiſtratu, ex axiomate *Cl. Iunii, cuius eſt miniſtros eligere eius authoritate miniſtratur* de Cler. lib. 1. cap. 7. not. 45.

Eadem pag. circa finem ita differit Clar. Vir, *neque etiam iudicant* (paſtores nempe) *nomine & titulo invidioſo collateralitatis, quo eccleſias noſtras odioſas reddunt; quamvis ſi adverſarii collateralitatem vocent, quod & paſtores & magiſtratus in regimine eccleſiæ Dei; quoad ordinem externum, ſuo modo conveniunt, id ferre cogimur; prout prudenter D. VValæus alicubi loquitur.* Nobis vero hac de re hæc certiſſima ſunt.

1. Magiſtratum, et eccleſiaſticos, jure collateralitatis, non judicare, aut convenire, in regimine eccleſiæ Dei, quoad ordinem externum. Nam ut παράλληλοι, ſeu collaterales gubernationes vere ſint, dicique poſſint, hæc tria in primis concurrere oportet.

1. Vt eodem eminentiæ gradu utrumque regimen Deo ſubſit; politicum vero ſubordinatur Deo, inſtar dominatus atque imperii, quod proximum divino eſt: eccleſiaſticum eſt tantum famulitium, et ſimplex miniſterium, Chriſto ſibi dominatum omnem in eccleſia reſervante. Hinc paſtores in cauſa ſuæ legationis, in qua a Deo immediate pendent, magiſtratui proprie non imperant: ſed legatorum inſtar, regis

Digitized by Google

ſui, cui immediate ſubſunt, annunciant mandata. Princeps Deo ſubjectus eſt ejuſque verbo, non præconi; licet hunc propter mittentem audiat: ergo ſi hujus ſermonem & nuntium admiſerit, Deo proprie non præconi paret. Hinc *Iunius: præcipiendi vera authoritas, qualis eſt in principe politico, Deo ſoli in eccleſia competit; Epiſcopis non alia eſt, quam referendi, & ſignificandi authoritas*, controv. 3. lib. 4. cap. 16. not. 5. Contra princeps in iis quæ ſui muneris ſunt, non aliter præconi, quam reliquis ſubditis imperat.

2. Requiritur ut idem jus, paremque poteſtatem, vice verſa, in ſe invicem habeant: eccleſiaſtica poteſtas rebus, ad politicam poteſtatem pertinentibus, ſe non immiſcet; & ſi officio ſuo deſit, non poteſt contra eam, niſi via monitionis, procedere; docet ſolum, ſuadet, monet, rogat. At poteſtas politica Magiſtratus verſatur etiam objective circa eccleſiaſtica, idque modo imperiali; & extendit ſeſe ad omnia illa quæ rebus eccleſiaſticis adjacent, & accedunt ex vita communi. Et ſi poteſtas eccleſiaſtica deviet, viam humanæ neceſſitatis ingredi poteſt, ut res ſacræ, in, & ab eccleſia reſtaurentur, ex ordine divinitus præſcripto.

3. Requiritur ut æquali potentia populum ſibi concreditum moderentur: paſtorum eſt non gladio, ſed verbo aberrantes oves arcere, & recolligere; nec cogendo dominantur, ſed perſuaden-

ſuadendo ſerviunt hominibus. Principes vero legibus, & vi armata poteſtatem ſuam declarant. Hinc politicæ poteſtati omnis anima ſubjecta eſt. Eccleſiaſticæ tantum, qui eccleſiæ, ſeu gregis Domini appellatione continentur. Civili poteſtati Deus authoritatem dedit leges ſanciendi, propter ipſum mandatum ſervandas: Miniſtris eccleſiæ non dedit; ſed præcepit ſonare præcepta divina; dedit etiam inſtituendi authoritatem præcepta ceremonialia, *ſervanda non propter mandatum præcipientis, ſed propter vitanda ſcandala*, ut alibi *Paræus*.

2. Nullo modo ferendum eſt, jure collateralitatis, Magiſtratus & eccleſiaſticos judicare, & convenire in re eccleſiaſtica, ſeu regimine eccleſiæ, quoad externum ordinem. Magiſtratus enim in actibus ſui muneris architectonice dominatur, & imperat; imperium vero ex toto eccleſiæ regimine removendum eſt, ex Euangelii præſcripto. Ex dignitatis & poteſtatis faſtigio deturbant Magiſtratus, qui ejus poteſtatem regimini eccleſiaſtico immiſcent, quod in famulitio & miniſterio conſiſtit. Meram confuſionem poteſtatis, & judicii politici, cum eccleſiaſtico, hæc collateralitas in regimine eccleſiæ inducit; quæ quam ſit monſtroſa, & divinæ inſtitutioni repugnans, in ſuperioribus monſtratum eſt.

3. Hoc nobis quam veriſimillimum videtur,

tur, quod ſententia Clariſſ. Viri collateralitatem hanc invidioſam, & exoſam, inferat: & ſuadetur hæc noſtra opinio ex hiſce; quia poteſtatem formaliter eccleſiaſticam, una cum miniſtris eccleſiæ, tribuit Magiſtratui: concedit Magiſtratui poteſtatem vocandi Paſtores, æque ac eccleſiaſticis: aſſerit Magiſtratui judicium de cauſa fidei in Synodis competere, æque ac doctoribus eccleſiæ, &c. quæ omnia certe collateralitatem inferunt in re eccleſiaſtica.

CAP. V.

De coactiva Magiſtratus poteſtate circa res & perſonas eccleſiaſticas.

COnſcientiæ hominum in rebus pure ſpiritualibus non ſubjacent imperio hominum: poteſtate coactiva armata, & ferrea manu Magiſtratuum non imperantur res conſcientiæ; quæ ſecundum naturam regni Chriſti, quod voluntarium maxime populum depoſcit, procurandæ ſunt. Hinc ipſæ eleemoſynæ non imperantur coactiva poteſtate in eccleſia Dei, quæ etſi ſecundum materiam res temporales ſunt, tamen ſecundum formam rationemque propriam ipſarum, ſunt ſpiritualis oblatio 2. Cor. 11. & ſpirituali eccleſiæ conſilio atque ordine diſpenſantur;

ſantur; proinde rebus temporalibus aſcribendæ negantur a *Iunio* Controv. 3. lib. 5. cap. 10. not. 11. hinc & ſpontaneo conſilio & prompta voluntate conferuntur in eccleſia Dei, non imperio Magiſtratus 2. Cor. 8. Sic quidquid Spiritualis regiminis eccleſiæ Dei objectum eſt, ſuaſoria non imperatoria hominum poteſtate urgetur ſub regno Chriſti; ſolo Chriſto ſibi imperium & legiſlationem in eccleſiam reſervante Iac. 3. 12. *Dominativum modum regendi à poteſtatibus ſeculi ſervandum Apoſtolis interdixit*, inquit *Occamus*, de poteſtate Pontificis quæſt. 1. cap. 7. *Anne aliquam ſibi à palatio dignitatem ſumpſerunt Apoſtoli? terret exiliis & carceribus eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus credita eſt*, inquit *Hilarius*, contra *Auxentium* Epiſt. 90. *Non ſunt iſta ſacerdotum in re ſacerdotali arma ſpiritualia ſed carnalia; quæ ſuperioribus ſeculis reges terræ tradiderunt beſtiæ: hæc non eſt virga diſcipulorum Chriſti, ſed virga ferrea, qua conteruntur vaſa Domini*, ut alibi acute *Calderwood*.

Pœnam ſpiritualem primario & directe infligere non poteſt princeps; poteſtatem enim cenſurarum & juriſdictionis eccleſiaſticæ, ratione ſui muneris non habet, ne in foro quidem exteriori eccleſiæ. *Non eſt neſcius Bellarminus*, inquit *Iunius*, *id juris communis eſſe ut reus ex malefacto ſortiatur judicem: ſi in re ſacra peccaviſſet Abiathar ad ſacerdotes pertinuiſſet cognitio illius, &c.* De Con-

Digitized by Google

ciliis lib. 1. cap. 20. not. 8. Hinc ſuſpenſionis cenſuram irrogare, aut depoſitionis pœnam infligere miniſtris non poteſt princeps; eſt enim ſpiritualis pœna: ſacerdotali poteſtate privare, quam ipſe minime donavit, non poteſt: eccleſiaſticæ adminiſtrationis, diſciplinæ, & excommunicationis pars non exigua eſt καθαίρεσις, ſeu abdicatio a munere eccleſiaſtico, ut habet *Daneus* Chriſtianæ Iſagoges part. 3. cap. 59. excommunicandi poteſtas in eccleſia Chriſti manat a poteſtate ordinis Presbyteratus, & Epiſcopatus natura, non ab authoritate & juriſdictione, quam habet princeps: ſin minus, Magiſtratus caput in eccleſia Chriſti conſtitueretur, apud quod eſt ſcaturigo eccleſiaſticæ poteſtatis & juriſdictionis. *Epiſcopos deſcendere à Pontifice tanquam à capite, nihil aliud apud nos eſt*, inquit *Becanus*, examin. Concord. Anglic. pag. 113. *quam accipere juriſdictionem fori exterioris à Pontifice.* Fugata igitur Pontificis Romani authoritate, aliud caput, idque politicum ſufficere, non oportet, ex cujus ſcaturigine juriſdictionis poteſtas hauriretur: alioqui non papatum, ſed papam ſolummodo mutabimus. Si princeps cenſurarum authoritatem, & excommunicationis, vel juriſdictionis poteſtatem habeat; vel ſolus in presbyteros & gregem domini illam exercet, vel una cum presbyteris & perſonis eccleſiaſticis: ſi ſolus epiſcopus, princeps & judex introducitur

citur in ecclesiam, qui solus habeat potestatem in presbyteros & ecclesiam: quem *Episcopatum Satanicum* dixit *Beza*, à Satana ad evertendam omnem ecclesiæ potestatem excogitatum. Si una cum presbyteris, vel ut rex & princeps judicat in Senatu suo; vel ut collega: ut rex non potest judicare in presbyterio; presbyterii enim judicium, ecclesiasticum cum sit, potestate regia, & dominante non exercetur: Christo soli competit in ecclesiasticis potestas regia, hominum ministerialis est authoritas. Cum *Bellarminus* Episcopum regi, presbyterium Senatui, & concilio regio comparasset, respondet *Tilenus, longe diversa ratio est, ac comparatio regis, cum consiliariis, & episcopi cum presbyteris, ille vere & proprie est dominus consiliariorum suorum, iste tantum conservus est, ac* συλλειτουργὸς *presbyterorum*, de Pontif. lib. 1. cap. 8. Quoniam igitur ut dominus in causa ecclesiastica, & spirituali judicio, nemo dominatur & imperat, ita nec princeps in Senatu ecclesiastico iudicare potest. Non iudicat ut collega cum presbyteris, presbyteratus enim dignitate & officio non gaudet. Archiepiscopus *Granatensis* in Concilio *Tridentino*, ex eo quod Pontifex appellatur episcoporum collega in Epistolis veterum, argumentatur: *esse contra collegii naturam, ut constet ex diversi generis personis, id sane naturam collegii admittere, ut in eo caput sit, atque ita de episcopali evenire cujus papa*

caput est, nempe ad ædificationem duntaxat, & quod dici solet in beneficentem causam. Histor. Concil. Trident. *Petri Suavis* lib. 7. pag. 679. Diversi generis persona cum princeps sit, collega igitur presbyterorum in presbyterii judicio, & causa ecclesiastica non est admittendus.

Statuunt quidam principem non posse pastores & presbyterum deponere canonica aliqua degradatione, eos ipsa sacerdotali potestate, quam iis minime donavit, quasi privando; sed tantum externum hujus potestatis in suos subditos intra suas ditiones exercitium inhibendo. Ita *Mucketus* Hierarchicus Anglus de politia ecclesiast. pag. 302. Ita & *D. Vedelius* statuit, ut patet ex Epistola *Cl. Riveti*, quam tractatui, quem refutamus, præfixit. Qui formalem potestatem, quam Magistratui tribuit in depositione ministrorum ita interpretatus est; ut spectaret depositionem, quæ exercitium prohibet ministerii in districtu Magistratus illius, & coercitionem externam: non autem potestatem, qua ordinatio ministri, quæ fit a solis pastoribus, redderetur irrita, & pastor exauthoratus fieret inhabilis ad prædicationem verbi & sacramentorum administrationem, quam formaliter solis pastoribus asserit *Clar. Rivetus*, quibus competit ordinatio. Quid de hac sententia statuamus subjiciendum.

1. Fatemur per abusum potestatis, Magistratum

ſtratum coactiva & ferrea manu exercitium miniſterii paſtoribus in ſua ditione poſſe prohibere: ſicut & ipſe ſacramenta adminiſtrare, & Euangelium publice prædicare poteſt; nullaque res tam ſancta, omnique jure a Magiſtratus poteſtate ſeparata & erepta reperitur, quin vi injuſta ad ſe rapere; & ſic libertates eccleſiæ, ut & omnium ſubditorum jura privata, infringere poſſit, potentia nempe phyſica, non morali. Sed quid injuria fieri poſſit non quæritur, ſed quid jure & lege fiat.

2. Fatemur etiam, miniſtro per injuriam & abuſum poteſtatis depoſito, quoad exercitium ſui miniſterii in diſtrictu aliquo, poteſtatem miniſterii, quæ vocatione ipſi delata eſt, non irritam reddi: & proinde miniſtrum ita depoſitum, non eſſe exautoratum, & inhabilem ad prædicationem verbi, & ſacramentorum adminiſtrationem, omnemque clavium poteſtatem, ſive ordinis, ſive juriſdictionis, exercendam. Idque ex hoc fundamento, quia jure divino & lege Dei, ex vi vocationis eccleſiaſticæ, miniſter eſt ejus eccleſiæ, in qua exercitium miniſterii obire ipſi per vim & injuriam prohibetur; ex quo fundamento omnem poteſtatem eccleſiaſticam exercendi jus habet, etiam in illa eccleſia, a qua per vim & injuriam ſeparatur & prohibetur. Quemadmodum enim uxore legitima per vim & injuriam a marito abducta & ſeparata, ipſe

tamen

tamen maritus jure & lege poteſtatem maritalem retinet, etſi ejus exercitium in uxorem legitimam per vim ipſi prohibeatur; idque hac ratione & fundamento, quia matrimonii vinculum per injuriam illatam irritum non redditur; ſed ex jure & inſtitutione divina perpetuum & indiſſolubile permanet, ſic etiam fit cum miniſter per vim brachii ſecularis ſeparatur ab eccleſia, cujus miniſterio conſecratus & addictus eſt legitime. Recte Epiſcopus *Guadicenſis* in Concilio *Tridentino* in Epiſcopos titulares invehens, aſſerit, *dignitati annexum eſſe tanquam rem eſſentialem, habere locum & diœceſin; Epiſcopum & eccleſiam relativa eſſe, ſicut maritus & uxor, quorum unum ſine altero eſſe non poteſt: adeoque naturam contradictionis non pati, ut ulla cauſa creandi Epiſcopos titulares dicatur legitima. Petri Suavis* Hiſtoria Concil. Tridentini lib. 8. pag. 803.

3. Sed aſſerimus cum jure & legitime exercitium miniſterii in aliqua eccleſia, cui per vocationem addictus & conſecratus erat miniſter, perpetuo ipſi interdicitur; ipſum miniſtrum ſimul exautoratum, & inhabilem eſſe ad ullam clavium, ſeu eccleſiaſtici miniſterii poteſtatem exercendam; ſublato enim fundamento tollitur relatio. Et hoc certum eſt, poſt eccleſiam primitus fundatam conſtitutamque, aſſignatis cuique eccleſiæ miniſteris, aureis illis temporibus, neminem ad ſacros ordines ad-

admissum, qui non peculiari ministerio destinatus erat. Historia Concilii Tridentini pagina 550. libro sexto. superiori capite primo sectionis secundæ hujus scripti, evicimus neminem ἀπολύτως ordinari posse, sed omnes ἰδικῶς ad specialem & certam ecclesiam vocari: Apostoli enim non ordinarunt presbyteros vagos, sed καθ' ἐκκλησίαν & κατὰ πόλιν Actorum 14. 23. Tit. 1. 5. *Duarenus* lib. 1. cap. 16. de sacris ecclesiæ ministeriis & beneficiis refert, *quod absolute & sine titulo quondam ordinationes fieri vetabantur: certum erat ministerium cujusque sive presbyteri sive diaconi, sive lectoris &c. & cuique certus locus assignabatur, cui velut mancipatus astrictusque erat. Verba Concilii Chalcedonensis hanc prohibentis ordinationem hæc sunt: neminem* ἀπολελυμένως, *id est absolute ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi* ἰδικῶς, *specialiter in ecclesia civitatis vel pagi, aut martyrio, aut monasterio, is qui ordines susceperit, designetur. Quæ verba refert Gratianus distinct. 70. ubi possessionis legitur pro pagi, sed fortassis interpres legit* νόμης *pro* κώμης: *huic consentaneum est, & quod ibidem ex Concilio Placentino recitatur; sacrorum Canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur & in qua ecclesia quis intitulatus est, in ea perpetuo perseveret, posteriores vero constitutiones Pontificum*

tificum huic juri derogarunt, quibus constitutum est ut irrita non sit ordinatio, sed is qui ordinavit, ordinatum, si egens sit, interim alere cogatur, dum certus ei titulus assignatus fuerit: quæ constitutiones confusionem incredibilem & dedecus attulerunt ecclesiæ. Si nemo vocari & ordinari potest in ministrum nisi ad certam & singularem ecclesiam; nemo igitur in dignitate & honore ministerii versari potest, nisi certæ ecclesiæ addictus. Onus procurationis ecclesiæ rerumque ecclesiasticarum a dignitate & officii ministerii separari non potest; sin minus, datur Pastor absque grege, absque cura animarum, adeoque Vtopiensis presbyter; nam ut recte *Duarenus* loco citato *Vtopienses presbyteri non insulse fortasse, nec inepte dici potuerunt, ut à germanis illis presbyteris, qui certas ecclesias regunt, discernantur.*

4. Negamus Magistratum ex jure divino per legitimum suæ potestatis usum ministerii exercitium ministro prohibere posse in ea ecclesia cui legitima vocatione est addictus. Rationes quæ hoc probant hæ sunt, quia ministros potestate sacerdotali, quam iis minime donavit, privare non potest Magistratus; hoc est enim ecclesiasticam administrationem obire, ut *Iunius* asserit de Concil. lib. 2. cap. 20. not. 8. Hinc reformati statuunt, *nullos nisi duces spirituales & pastores posse instar judicum amovere à gradu & ordine*

dine ecclesiastico, quemvis legitime vocatum, ut alibi asserit *Richardus Fieldus* in tractatu de ecclesia. Quod si quis dicat non privare eos potestate sacerdotali, sed exercitio; *id idem est*, inquit, *Calderwoodus*, in Altari Damasceno, *ac si cum Pontificiis diceret, per pœnam depositionis licitum exercitium potestatis sacerdotalis tantum tolli non ipsam potestatem, & indelebilem, quem vocant, characterem. Et quod addunt*, inquit, *privare tantum exercitio potestatis in suos, fucus est; nam probe norunt, se non posse prohibere exercitium hujus potestatis apud exteras ecclesias.* Deinde privare exercitio potestatis tum ordinis, tum jurisdictionis, in ecclesia cui addictus erat pastor legitimus, est pœna spiritualis, quam primario infligere non potest princeps; pœna spiritualis ecclesiastica, & spirituali potestate infligitur, non brachii secularis auxilio, vel vindicta; cœlum terræ misceri, divina & humana jura confundi, gladii temporales & spirituales in unum conflari & conferruminari non debent in ecclesia constituta. Actus spiritualis naturæ, ut sunt suspendere, officio ejusque exercitio spirituali destituere, civili authoritate peragi absurdum est; cum impossibile sit, ut elevetur supra naturam suam authoritas civilis, ut fiat spiritualis. Præterea hæc privatio exercitii potestatis ecclesiasticæ suspensionis censuram infert, saltem in illa ecclesia in qua exercitium ministerii legitime prohibe-

hibetur; at vero qui possunt irrogare censuram suspensionis, possunt & depositionis pœnam infligere. Nam censura suspensionis est in ordine ad poenam depositionis; nempe si reus non recesserit à contumacia. cum igitur pœnam depositionis, qua potestas sacerdotalis aufertur, infligere non potest Magistratus; nec prohibendo exercitium ministerii suspensionis censuram irrogare potest. Denique, fermentum Pontificium est ab hierarchicis Anglicanis etiam adoptatum, aliquem licentia concionandi, & exercitio ministerii mulctari posse, & tamen de gradu presbyteri, seu ministri non dejici; & prædicationem verbi & sacramentorum administrationem posse concedi, quibus concedendum vult episcopus, & quibus concessa est ejusmodi facultas, posse eadem mulctari. *Sed cum Christus presbyteros suos prædicare jusserit, quis prohibere potest*, inquit, *VViclefius* in expositione conclusionum exhibitarum episcopis apud *Foxum* in actis & monumentis martyrum pag. 245. recte *Zecchius* ait de republica ecclesiastica, titulo de Concionatoribus; *munus prædicandi competere curatis de jure & ex officio suo ordinario; & est communis sententia tam Canonistarum, quam Theologorum; & tam de ipsis quam de episcopis probatur evidenti ratione. Primo quia illi omnes sunt pastores, curati quidem in foro interiori, episcopi etiam in exteriori. at pastoris est non solum*

ſolum vigilare ſupra gregem, ſed multo magis eſt paſcere, ut ait propheta Threnor. 4. parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret iis. Hinc Apoſtolus prædica verbum, argue, increpa, &c. Secunda ratio, quia nemo poteſt prædicare, niſi mittatur; ſic ii qui mittuntur, prædicare tenentur; at paſtores ſunt qui mittuntur jure quodam ordinario, tamquam ordinarii quidam miſſi, qui etiam ordinario prædicare debent; ordinario autem jure mittuntur omnes hoc ipſo, quod eliguntur ad prælaturas, aut ad curam animarum. Hinc eſt, quod ii tanquam legitimi & idonei prædicare debent; & non opus eſt alia licentia. *Nicolai Papæ* ad *Michaelem* Imperatorem verba paſtoribus omnibus accommodari poſſunt; *Diſpenſatio eſt nobis cæleſtis ſeminis iniuncta; væ ſi non ſparſerimus, væ ſi tacuerimus; quod cum electionis vas formidet & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum eſt.* Diſtinct. 43. cap. 5. Hinc *Ameſius* in Medulla Theolog. lib. 1. cap. 30. theſ. 14. *Sunt igitur illi plane ridiculi, qui vocationem miniſtrorum ſic inſtituunt, ut prædicandi verbi poteſtatem ipſis non tribuant, niſi ex nova aliqua conceſſione.* Et in *Bellarm.* de Cleric. aſſerit *miſſionem illam, apud pontificios quæ iuriſdictionem tribuit & reipſa paſtorem facit, ab electione & ordinatione diſtinctam, novam eſſe fictionem, qua adulatores quidam gratificari ſtuduerunt Papæ Romano.* Si igitur presbyteratus ordini eſſentiale & neceſſarium eſt munus miniſterii, non opus eſt ulla

insuper facultate ad exercitium ejus muneris, qui vocatus est ad beneficium, seu certum ministerii locum, potest omnia munia ministerii obire vi suæ vocationis, non impetrata facultate, nec Pontificis, nec Episcopi, nec Magistratus, nec Classis, &c. Cum igitur exercitium ministerii non dependeat à Magistratus licentia concedenda, sed ab ecclesiæ vocatione oblata: nec prohibitio ejus exercitii Magistratui competit. Proinde novam hanc esse fictionem existimamus, qua Papæ politico gratificari quidam student cum exercitium ministerii à politici Magistratus consensu in ecclesia particulari, cui addictus est minister, ex jure suspenditur. Cum *Bellarminus* cap. 13. lib. 1. de Cleric. assereret, quod ne presbyteris quidem prædicare liceat, nisi ex episcopi mandato, aut consensu; Respondet *Iunius*, *negatur justam esse hanc distinctionem episcoporum & presbyterorum: nam suum munus presbyteris à Deo imperatum, hoc pacto eripitur*; ut ex *Chrysostomo* diximus ante cap. 7. not. 61, & *Bellarminus* ex Theologorum sententia cap. 11. confessus est. *Amesius* vero de Clericis cap. 3. not. 9. hæc regerit, *manifeste falsum est, quod hic affirmatur, nullis presbyteris licitum esse prædicare nisi ex mandato & consensu episcopi. officium enim prædicandi ubique in novo T. à Deo ipso mandatur presbyteris immediate, nusquam autem episcopis ullis ordinariis à presbyterorum ordine & gradu distinctis.*

ctis. Postea quidem (ut Hieronym. loquitur ad Nepotian.) pessima consuetudo fuit, in quibusdam (non omnibus) ecclesiis, tacere presbyteros præsentibus episcopis; in eodem scil. cœtu, ubi episcopus quotidie concionabatur; sed & hoc tamen ab eodem Hieronymo tribuitur invidiæ & supercilio episcoporum, sicut etiam à jure Canonico, distinct. 95. cap. 1. Et Hieronymus ad Rusticum episcopos in hoc dicit invidia Diabolicæ tentationis fuisse inflatos, quia nolebant presbyteros facere quod jubentur à Deo: injustissimos fuisse & solos voluisse in ecclesia potentari. Hæc omnia in jus Pontific. relata sunt à *Gratiano* dist. 95. cum Hierarchi & præcipue *Downamus* asseret lib. 3. cap. 2. sect. 11. defensionis, quod presbyter licet habeat potestatem ordinis, non possit pastoris muniis fungi in ulla congregatione, quæ pars est episcopalis provinciæ, nisi authoritate ab ipso episcopo in hunc finem muniatur, a quo accepit potestatem jurisdictionis, curamque animarum, & regimen ecclesiæ parochialis in institutione. *Distinguere etiam oportet,* inquit, *inter potestatem ipsam, & ipsum exercitium. Nam licet quilibet minister eandem habeat potestatem ordinis, quæ ei communis est cum episcopis ratione prædicandi verbum, & sacramentum baptismi & cœnæ Dominicæ administrandi, exercitium tamen potestatis est & fuit semper obnoxium authoritati episcopi, qui illud permittebat, dirigebat, aut suspendebat.* Doctissimus *Calderwood.* sententiam

Digitized by Google

illam judicii exacti trutinæ appendens, ita argumentatur pag. 208. &c. Altar. Damasc. *Somnia sua ut referant hierarchici vidimus, sed nulla testimonia ex sacris Scripturis proferunt. Presbyteros potestatem ordinis non legimus accepisse, nisi quando eam in actum productur essent in particulari aliqua ecclesia, &c. presbyteros autem ordinatos fuisse, communi & absoluta ordinatione, qui per provinciam errarent otiosi, ligati vinculo prohibitionis apostolicæ, nedum episcopi, ne potestatem in ordinatione collatam exercerent, ne vel unico exemplo demonstrare possunt.* Item postea, *istud est absurdum & contra scripturam. Nam presbyteri sunt legati Christi, & ipsius nomine legatione funguntur, ut pastores constituti à Spiritu sancto super gregem* ποιμαίνειν *ad pascendam ecclesiam Dei Act. 20. 28. sunt œconomi seu dispensatores mysteriorum Dei, œconomi autem à patrefamilias constituuntur supra familiam. Dominus messis extrudit operarios in messem suam. Ille sponsus, pastores sunt à sponso constituti, ut ministrent sponsæ. Non derivant presbyteri ab episcopo potestatem ordinis magis, quam episcopi à Papa Romano, sed à Christo, ordinatio & institutio non magis evincunt presbyteri potestatem ab episcopo derivatam esse, quam episcopi ab archiepiscopo consecrante. Nam licet in ordinaria vocatione ad ministerium interveniat ministerium humanum, Christus tamen confert potestatem, quod apta similitudine illustrat Baynesius: ut in collegiis inquit socii aliquem admittunt,*

quem

quem fundatoris statuta describunt; sic ecclesia hunc vel illum eligit & admittit ad ministerium, quem leges Christi a Spiritu sancto præscriptæ in sacris tabulis, quasi intento digito monstrant. Si non ab episcopo, sed a Christo derivent suam potestatem, non sunt legati ministri vicarii episcopi, nec pendet exercitium ministerii ab episcopo, sed a Christo, cui rationem reddituri sunt pro grege, quem ipsis commendavit Dominus, &c. Item *sic & Euangelistæ ita erant inferiores Apostolis, ut tamen a Christo suam derivarent potestatem, qui alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, non ab Apostolis; non poterant Apostoli eos, postquam vocati fuerant, cohibere ab exercitio muneris, aut partis ejusdem; sicut episcopus parœcos suos, quos libet, a munere prædicationis Euangelii reprimit.* Multa alia affert zelota Dei ad hanc causam, quæ justas aliquot paginas adhuc implere possunt; sed superiora sufficiunt. Iam vero Magistratus in Papalinorum, Anglicanorum Episcoporum loca non sunt substituendi; quin eadem argumenta contra supercilium, hoc politicorum militent, & quidem potiori jure, quæ jam ex reformatis Doctoribus contra episcopos protulimus.

5. Attamen si minister talia crimina committat, quæ Magistratus juste in alios subditos & honoratos cives pœna capitali, exilio, infamia punire potest, etiam eisdem pœnis affici potest: ex quo & jure divino consequenter in-

habilis sit ad ministerium ecclesiasticum obeundum. Et tum privatio exercitii ministerii sacerdotalis consequens est istius pœnæ. Et Magistratus deponit a ministerio, vel prohibet ab ejus exercitio, non directe & primario; sed indirecte consequenter & secundario: & proprie exercet judicium civile civiliter; pœnam vero spiritualem ecclesiastice non infligit. Ita in superioribus audivimus Salomonem amovisse a sacerdotio Abiatharum religando Anathothum, quia reus erat læsæ Majestatis; cum quo, quia in rempublicam peccaverat Majestatemque regiam, civiliter & non ecclesiastice agi oportuit, ut *Junius* loquitur de Conciliis lib. 1. cap. 20. Not. 1. *Salomon ergo & alii, ut principes judicaverunt legitime, non autem administrationem ecclesiasticam obierunt.* Sed ne Magistratus sub hujus rei pra textu, ullam Tyrannidem persecutionem, aut oppressionem instituat in pastores, hoc unum monemus, ut justis ex causis & juste pœnam hanc decernat; proinde pastores, ut & omnes subditos, legitime esse convincendos, & eorum crimina civili pœna exilio, &c. digna rite esse probanda, ante quam poena aliqua in eos decernatur. Proinde absque ullo legitimo juris processu, pro sola authoritate & imperio, pastores exilio, ejectione ex territorio &c. nõ esse mulctãdos; id enim persecutio & oppressio est, si cõtra subditum, qui civitatis jure gaudet, instituatur.

In

In eccleſia conſtituta & ordinata, quæ ſpirituali regimine ex ordine divinitus inſtituto regitur, Magiſtratus ſecularis vi & poteſtate coactiva ſeculari procurare non poteſt, in cauſis eccleſialticis & ſpiritualibus, ut eccleſiaſtici deſides & deviantes ad officium redeant: niſi brachium ſecularis auxilii imploretur ab eccleſia, tunc enim regia poteſtas ſacroſancta eccleſiæ in ſuis querelis deeſſe non debet. aſſerit alibi *Lindvvoodus* Canoniſta Anglus.

Vt hoc intelligatur, ſciendum 1. quænam cauſæ proprie eccleſiaſticæ vocentur: laxiſſimæ ſunt apud Pontificios cauſarum eccleſiaſticarum claſſes. *Bellarminus* lib. 1. de Clericis cap. 28. art. 3. "Vocantur, inquit, cauſæ eccleſiaſticæ, quarum cognitio non pendet a legibus civili-„ bus, ſed ab Euangelio, vel a canonibus Ponti-„ ficum, aut conciliorum, quales ſunt contro-„ verſiæ de fide, de ſacramentis, & aliæ id genus.„ *Mallem dici*, inquit, *Iunius* not. 1. in illud *Bellarmini* caput, " ſed ex jure divino pendent, & legitima cognitione eccleſiaſtica. Vel cauſæ „ eccleſiaſticæ ſunt, quæ ad rationem conſcien-„ tiæ pertinent, ſecundum jus divinum, & au-„ thoritatem demandatam eccleſiæ Dei; nam „ illa quidem Bellarmini definitio eſt laxior.„ Diſtinctio quædam delectorum eſt apud Summiſtas in eccleſiaſtica & laica; quæ tamen nobis non probatur; cum tam late extenditur, ut fit

a ſcholaſticis & Canoniſtis, efficit enim ut quandoque negligentiores ſint Magiſtratus, in caſtigandis quibuſdam criminibus, quæ lege divina capitalia eſſe debebant. Idem delictum poteſt eſſe utriuſque fori civilis nempe & eccleſiaſtici objectum, nec tamen unum detrahit juriſdictioni alterius: furtum, homicidium, Sodomia, Polygamia, &c. etiam pertinent ad juriſdictionem eccleſiaſticam, licet de iis judicet Magiſtratus, nihil prohibet tamen eccleſiam etiam ſuo fungi officio, præſertim ceſſante, aut remittente Magiſtratu. Etſi fur in foro civili cogatur ad reſtituendum quadruplum; non tamen abſque explorata reſipiſcentia admittendus ad ſacramentorum participationem, ſed arcendus donec reſipuerit, ne eccleſia fieret ſpelunca furum & latronum: quandiu Magiſtratus non procedit ad pœnam mortis, aut ſimilem pœnam, quæ impediat rei delictum dijudicari in Senatu eccleſiaſtico, debet reus cenſuris eccleſiaſticis caſtigari, & ad veram reſipiſcentiam ſi duci fieri poſſit. Proinde noſtro judicio recte *Ameſius* Medul. Theol. part. 2. cap. 17. theſ. 49. "Rebus vero ipſis, perſonis, aut cauſis circa quas occupantur, non poſſunt accurate diſtingui (Magiſtratus nempe & miniſtri eccleſiæ) nulla enim res, perſona aut cauſa tam eſt eccleſiaſtica, quin aliqua ratione pertinent ad juriſdictionem Magiſtratus: neque ulla eſt actio adeo ſecularis

tis (modo ab ecclesiæ membro præstetur)„ quin quatenus observantiam erga Deum re- „ spiçit, pertinere possit ad ecclesiasticam co-„ gnitionem.“ Et apposite ad rem nostrãm *Calderwood.* Altar. Damasc. pag. 423. “judices civiles non cognoscunt de mere ecclesiasticis „ nisi civiliter, non modo ecclesiastico.“ Causam igitur ecclesiasticam hisce notis signari posse existimo. 1. Cum res ad rationem conscientiæ tantum pertinet. 2. Vel cum authoritas judicandi de ea mandata est ecclesiæ. 3. Vel cum judicium ejus modo ecclesiastico & spirituali peragitur, id est, ministeriali dispensatione, non imperiali & coactiva potestate. Cum igitur res ad forum poli pertinet, & a foro soli est aliena; vel authoritate ecclesiastica est discernenda, vel ecclesiastice occurrit dijudicanda, tum causa est ecclesiastica.

In causis omnibus civilibus dominetur Magistratus, & a foro ecclesiastico removeantur quam longissime. Recte *Spalatensis* de republ. eccles. lib. 5. cap. 2. num. 26. “Cur quæso Iustinus Imperator in quadam lege C. de Episc. & Cleric. L. 41. absurdum esse asserit imo etiam „ opprobrium, si ecclesiastici peritos se velint „ ostendere disceptationum esse forensium, nisi „ quia sciebat valde indecens esse ut clerici, quæ „ ad forum spectant, agitent, aut profiteantur. „ improbat igitur, ac merito in ecclesiasticis stu- „

dium legum civilium. Si enim ſolis rebus di-„
vinis debent eſſe intenti, vere abſurdum &„
opprobrioſum eſt, ut humana jura ſciant, qui-„
bus temporalia agitantur, quæ à profeſſione„
eccleſiaſtica tota ſpirituali, & omnis juriſdi-„
ctionis veræ experte ſunt remotiſſima." Cum abſurdum ſit, ſi eccleſiaſtici peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium, diſceptationes ipſæ forenſes ab eccleſia debent eſſe remotiſſimæ. Nam nullas alias diſceptationes, aut cauſas tractare voluit Chriſtus in foro eccleſiaſtico, niſi eas de quibus judicare poſſint eccleſiaſtici. Non juſſit Chriſtus juris Cæſarei doctores conſtitui in eccleſia ad diſcutiendas cauſas civiles, aut *Menochii*, *Maſcardi*, aliorumque juriſperitorum deciſiones de præſumptionibus, probationibus, & exceptionibus examinandis afferri; ſed cauſas civiles earumque deciſiones judicibus ſecularibus reliquit. Sed cauſæ etiam eccleſiaſticæ ſuis judicibus reſervandæ ſunt re- & e *Gelaſius* Pontifex Romanus in *Anaſtaſium* Imperatorem invehens teſtatur, "diſtinctas eſſe poteſtates, poſtquam ad verum ventum„ eſt, quamvis ante adventum Chriſti quidam„ figuraliter adhuc in carnalibus conſtituti, u-„ tramque poteſtatem exercuerunt. Attamen„ Chriſtus inquit, memor fragilitatis humanæ„ quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione„ magnifica temperans, ſic actionibus propriis,„

&

& dignitatibus distinctis officia potestatis u- „
triusque discrevit, suos volens medicinali hu- „
militate salvari, non humana superbia rursus „
intercipi, ut & Christiani Imperatores ponti „
ficibus indigerent, & pontifices pro tempo- „
ralium cursu rerum, imperialibus dispositio- „
nibus uterentur; quatenus spiritualis actio a „
carnalibus distaret incursibus: & ideo militans „
Deo minime se negotiis secularibus implica- „
ret; ac vicissim non ille rebus divinis præesse „
videretur, qui esset negotiis secularibus im- „
plicatus: ut & modestia utriusque ordinis cu- „
raretur, ne extolleretur utroque suffultus; & „
competens qualitatibus actionum specialiter „
professio aptaretur."

2. Hinc igitur statuimus in causis ecclesiasticis ecclesiastice dijudicandis ministros ecclesiarum jure divino liberos esse in judicio ecclesiastico a potestate coactiva secularium principum. Cum *Bellarminus* lib. 1 de Cler. Cap. 18. art. 6. thesin hanc nostram probaret ex divinis litteris, "quia ex doctrina scripturarum sacrarum regimen ecclesiasticum distinctum est a „
politico; & præterea quod secundum scriptu- „
ras tota authoritas regendi ecclesiam a Christo „
commissa sit Apostolis: quod proinde in re- „
bus ecclesiasticis laici omnes, etiam principes, „
sint oves & subditi, non pastores & judices:" Respondet "Iunius, de causis vere ecclesiasti-

cis

cis concedimus.“ Et not. 6. “ In cauſis civili-
bus atque politicis, & poſſunt, & debent Cle-„
rici a judice politico punire, vel ad ſecularis „
Magiſtratus tribunal trahi; eæ excipiuntur ſo-„
lum, quæ ad ſacros Canones, & officium Cle-„
ricale pertinent.“ Item not. 10. “Itaque in re
paſtorali tenentur judicio eccleſiaſtico; in ea „
quæ humana eſt atque βιωτικὰ. non poſſunt ſe „
ullo modo a judicio civili eximere. “ Quam
erudite & graviter diſſerit hac de re magnus no-
ſter *Calvinus* in inſtitut. lib. 4. cap. 11. ſect. 15.
Eccleſiaſticæ quidem cauſæ, inquit, ad epiſco-„
pale judicium referebantur. Quemadmodum „
ſi quis Clericus nihil in leges deliquiſſet, ca-„
nonibus tantum reus agebatur, non citabatur „
ad commune tribunal: ſed epiſcopum habe-„
bat in ea cauſa judicem. Similiter ſi fidei quæ-„
ſtio agitabatur, aut quæ ad eccleſiam proprie „
pertineret, cognitio deferebatur eccleſiæ. Sic „
intelligendum eſt quod ſcribit Ambroſius ad „
Valentinianum: Auguſtæ memoriæ pater „
tuus non modo ſermone reſpondit, ſed legi-„
bus quoque ſanxit, in cauſa fidei eum judica-„
re debere, qui nec munere ſit impar, nec jure „
diſſimilis. Item ſi ſcripturas aut vetera exem-„
pla intuemur, quis eſt qui abnuat, in cauſa fi-„
dei, in cauſa (inquam) fidei, epiſcopos ſolere „
de Imper. Chriſtianis nō Imper. de epiſcopis ju-„
dicare? Item veniſſem imperator ad Conſiſto-„
rium

rium tuum, ſi me vel epiſcopi, vel populus ire „
paſſus foret: dicentes cauſam fidei in eccleſia „
coram populo debere tractari. Contendit „
quidem ſpiritualem cauſam, hoc eſt, religio- „
nis, ad civile forum non eſſe trahendum, ubi „
Prophanæ controverſiæ agitantur. Merito „
in hac re ejus conſtantiam laudant omnes. Et „
tamen in bona cauſa eo uſque progreditur, ut „
ſi ad vim & manum ventum fuerit, ceſſurum „
ſe dicat. Volens, inquit, locum mihi commiſ- „
ſum non deſeram; coactus repugnare non no- „
vi, arma enim noſtra preces ſunt & lachrymæ. „
Obſervemus ſingularem ſancti hominis mo- „
derationem ac prudentiam, cum animi ma- „
gnitudine fiduciaque conjunctam. Iuſtina im- „
peratoris mater, quia in partes Arrianorum „
pertrahere eum non poterat, expellere ab ec- „
cleſiæ gubernatione moliebatur. Atque id fu- „
turum erat ſi in palatium ad cauſam dicen- „
dam vocatus veniſſet. Negat igitur impera- „
torem idoneum eſſe cognitorem tantæ con- „
troverſiæ. Id quod & illius temporis neceſſi- „
tas poſtulabat, & ipſa etiam perpetua rei na- „
tura. Moriendum enim potiùs ſibi judica- „
bat, quam ut tale exemplum ad poſteros, „
ſe conſentiente, tranſmitteretur: & tamen „
ſi vis afferatur de reſiſtendo non cogitat. „
Negat enim id epiſcopale eſſe, fidem & ec- „
cleſiæ jus armis tueri: cæterum in aliis cau- „

sis quidvis se facére paratum ostendit quod „ jusserit Imperator. Si tributum petit, non ne- „ gamus inquit; agri ecclesiæ tributum solvunt. „ Si agros petit, potestatem habet vendicandi: „ nemo nostrum intervenit. In eundem modum „ loquitur & Gregorius, Sereniſſimi Domini „ animum non ignoro, quid se in causis sacer- „ dotalibus miscere non solcat; ne nostris in ali- „ quo peccatis gravetur. Non generaliter à sa- „ cerdotibus judicandis excludit imperato- „ rem: sed certas causas esse dicit, quas eccle- „ siastico judicio relinquere debeat. « Hæc *Calvinus.*

Argumenta quæ thesin hanc nostram suadent, accipe. 1. Ipse Magistratus in causis sacris ecclesiastice dijudicandis, non est judex qui potestate coactiva ministris præest; sed ecclesiæ filius, & ovis, a ministris & pastoribus ecclesiæ judicandus, spirituali jurisdictione, qua ecclesia carere non potest. Hinc recte *Junius potestas spiritualis spectatur duobus modis, ut Dei, & ut ecclesiæ vel administratorum Dei. Potestati Dei omnia subjecta sunt: ecclesiastica vero potestati civilis subjecta est secundum quid, ac non absolute: in rebus spiritualibus, non temporalibus: voluntate, non necessitate: ad monita & instituta ministratoria, non ad coactionem (ut vocant) authoritativam, qua Dei solius est in hoc argumento: nempe tanquam ad vocem præconis, aut interpretis: qui tantisper est audiendus*

diendus & obligat auditores ſuos, dum fungitur legatione ſua. Vnde & *Calvinus* cap. citato ſect. 4. *neque enim ubi cœperunt Imperatores & Magiſtratus Chriſto nomen dare protinus abrogata eſt ſpiritualis juriſdictio; ſed ita duntaxat ordinata, nequid civili derogaret, aut cum ea confunderetur, & merito; non enim Magiſtratus, ſi pius eſt, eximere ſe volet communi filiorum Dei ſubjectione, cujus non poſtrema pars, eccleſiæ ex verbo Dei judicanti ſe ſubiicere; tantum abeſt, ut iudicium illud tollere debeat. Quid enim honorificentius (inquit Ambroſius) quam ut eccleſiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus intra eccleſiam non ſupra eccleſiam eſt. Quare illi qui ut Magiſtratum ornent, eccleſiam ſpoliant hac poteſtate, non modo falſa interpretatione corrumpunt Chriſti ſententiam, ſed ſanctos omnes epiſcopos, qui tam multi à tempore Apoſtolorum extiterunt, non leviter damnant, quod honorem officiumque Magiſtratus falſo pratextu ſibi uſurparunt.*

2. Schopus & uſus judicii & juriſdictionis in cauſis eccleſiaſticis oſtendit eas a ſeculari politici principis poteſtate coactiva exemptas eſſe, legatur hac de re idem *Calvinus* qui eodem cap. ſect. 3. ita differit. "Neque enim jus gladii habet eccleſia, quo puniat vel coerceat, non imperium ut cogat, non carcerem, non pœnas „ alias, quæ ſolent infligi a Magiſtratu. Deinde „ non hoc agit, ut qui peccavit invitus plectatur: „

ſed

ſed ut voluntaria caſtigatione pœnitentiam „ profiteatur. Eſt igitur longe diverſa ratio; quia „ nec quidquid ſibi ſumit eccleſia quod ſit pro- „ prium Magiſtratus; neque hoc efficere poteſt „ Magiſtratus, quod in eccleſia peragitur. Ine- „ briatus eſt aliquis? in urbe bene conſtituta, „ pœna erit carcer. Scortatus eſt? aut ſimilis, „ aut potius major. Ita erit ſatisfactum & legi- „ bus & Magiſtratui & externo judicio. At fi- „ eri poterit ut nullam det pœnitentiæ ſignifica- „ tionem, quin potius ut obmurmuret vel fre- „ mat. An illic ceſſabit eccleſia? ac recipi ad „ cœnam tales nequeunt, quin fiat & Chriſto „ & ſacræ ejus inſtitutioni injuria. Et hoc po- „ ſtulat ratio, ut qui eccleſiam offendit malo „ exemplo, ſolenni pœnitentiæ declaratione „ offendiculum quod excitavit, tollat. *Et ſect.* 1. primum hic eccleſiaſticæ juriſdictionis ſcopus „ eſt, ut ſcandalis obviam eatur: quod ſi quid „ ſcandili obortum ſit aboleatur. In uſu duo „ ſunt conſideranda; ut a jure gladii prorſus ſe- „ paretur hæc ſpiritualis poteſtas, &c. neque e- „ nim vel mulctis vel carceribus, vel aliis civili- „ bus pœnis poteſtatem ſuam exercuerunt ſan- „ cti Epiſcopi, ſed ſolo Dei verbo ut decebat, „ uſi ſunt. Severiſſima enim eccleſiæ vindicta, „ & quaſi ultimum fulmen eſt excommunicatio „ quæ non niſi in neceſſitate adhibetur. Illa „ porro nec vim nec manum deſiderat, ſed verbi „

Dei

Dei potentia contenta eſt. Denique veteris „ eccleſiæ juriſdictio nihil aliud fuit, quam pra- „ edica, ut ita loquar, declaratio ejus, quod do- „ cet Paulus de ſpirituali paſtorum poteſtate. „ Data eſt inquit nobis poteſtas, qua demolia- „ mur munitiones, qua humiliemus omnem „ altitudinem, quæ ſeſe extollit adverſus cogni- „ tionem Dei, &c."

3. Perſonæ, quibus juriſdictio rerum eccleſiaſticarum à Chriſto demandata eſt, evidenter arguunt, miniſtros hic coactivæ Magiſtratus poteſtati non ſubeſſe. Enim poteſtas non penes unum erat, ut pro ſua libidine quidvis ageret, uti principis poteſtas & Majeſtatis jus ſæpe eſt; ſed penes conſeſſum ſeniorum, qui erat in eccleſia. *Hæc erat communis & uſitata ratio*, inquit *Calvinus*, eodem cap. ſect. 6. *ut per ſenatum presbyterorum eccleſiæ juriſdictio exerceretur; quorum duo (ut dixi) erant genera. Alii enim ad docendum erant ordinati, alii morum cenſores duntaxat erant. Paulatim degeneravit hoc inſtitutum à ſuo primordio; ut jam Ambroſii ſeculo ſoli clerici de judiciis eccleſiaſticis eſſent cognitores; quod ipſe conqueritur his verbis, Synagoga vetus, inquit, & poſtea eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur. Quod qua negligentia aboleverit neſcio, niſi forte doctorum deſidia, vel magis ſuperbia; dum ſoli volunt aliquid videri. Videmus quantopere ſanctus vir indignetur aliquid de meliori ſtatu concidiſſe: quum*

dium legum civilium. Si enim ſolis rebus di-„
vinis debent eſſe intenti, vere abſurdum &„
opprobrioſum eſt, ut humana jura ſciant, qui-„
bus temporalia agitantur, quæ à profeſſione„
eccleſiaſtica tota ſpirituali, & omnis juriſdi-„
ctionis veræ experte ſunt remotiſſima." Cum abſurdum ſit, ſi eccleſiaſtici peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium, diſceptationes ipſæ forenſes ab eccleſia debent eſſe remotiſſimæ. Nam nullas alias diſceptationes, aut cauſas tractare voluit Chriſtus in foro eccleſiaſtico, niſi eas de quibus judicare poſſint eccleſiaſtici. Non juſſit Chriſtus juris Cæſarei doctores conſtitui in eccleſia ad diſcutiendas cauſas civiles, aut *Menochii*, *Maſcardi*, aliorumque juriſperitorum deciſiones de præſumptionibus, probationibus, & exceptionibus examinandis afferri; ſed cauſas civiles earumque deciſiones judicibus ſecularibus reliquit. Sed cauſæ etiam eccleſiaſticæ ſuis judicibus reſervandæ ſunt recte *Gelaſius* Pontifex Romanus in *Anaſtaſium* Imperatorem invehens teſtatur, "diſtinctas eſſe poteſtates, poſtquam ad verum ventum„
eſt, quamvis ante adventum Chriſti quidam„
figuraliter adhuc in carnalibus conſtituti, u-„
tramque poteſtatem exercuerunt. Attamen„
Chriſtus inquit, memor fragilitatis humanæ„
quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione„
magnifica temperans, ſic actionibus propriis,„
&

& dignitatibus distinctis officia potestatis u- „
triusque discrevit, suos volens medicinali hu- „
militate salvari, non humana superbia rursus „
intercipi, ut & Christiani Imperatores ponti „
ficibus indigerent, & pontifices pro tempo- „
ralium cursu rerum, imperialibus dispositio- „
nibus uterentur; quatenus spiritualis actio a „
carnalibus distaret incursibus: & ideo militans „
Deo minime se negotiis secularibus implica- „
ret; ac vicissim non ille rebus divinis præesse „
videretur, qui esset negotiis secularibus im- „
plicatus: ut & modestia utriusque ordinis cu- „
raretur, ne extolleretur utroque suffultus; & „
competens qualitatibus actionum specialiter „
professio aptaretur."

2. Hinc igitur statuimus in causis ecclesia-sticis ecclesiastice dijudicandis ministros ecclesiarum jure divino liberos esse in judicio ecclesiastico a potestate coactiva secularium principum. Cum *Bellarmino* lib. 1 de Cler. Cap. 18. art. 6. thesin hanc nostram probaret ex divinis litteris, "quia ex doctrina scripturarum sacrarum regimen ecclesiasticum distinctum est a „
politico; & præterea quod secundum scriptu- „
ras tota authoritas regendi ecclesiam a Christo „
commissa sit Apostolis: quod proinde in re- „
bus ecclesiasticis laici omnes, etiam principes, „
sint oves & subditi, non pastores & judices:" Respondet "Iunius, de causis vere ecclesiasti-

cis

cis concedimus.“ Et not. 6. “ In cauſis civili-
bus atque politicis, & poſſunt, & debent Cle-„
rici a judice politico punire, vel ad ſecularis „
Magiſtratus tribunal trahi; eæ excipiuntur ſo-„
lum, quæ ad ſacros Canones, & officium Cle-„
ricale pertinent.“ Item not. 10. “Itaque in re
paſtorali tenentur judicio eccleſiaſtico; in ea „
quæ humana eſt atque βιωτικὴ. non poſſunt ſe „
ullo modo a judicio civili eximere. “ Quam
erudite & graviter diſſerit hac de re magnus no-
ſter *Calvinus* in inſtitut. lib. 4. cap. 11. ſect. 15.
Eccleſiaſticæ quidem cauſæ, inquit, ad epiſco-„
pale judicium referebantur. Quemadmodum „
ſi quis Clericus nihil in leges deliquiſſet, ca-„
nonibus tantum reus agebatur, non citabatur „
ad commune tribunal: ſed epiſcopum habe-„
bat in ea cauſa judicem. Similiter ſi fidei quæ-„
ſtio agitabatur, aut quæ ad eccleſiam proprie „
pertineret, cognitio deferebatur eccleſiæ. Sic „
intelligendum eſt quod ſcribit Ambroſius ad „
Valentinianum: Auguſtæ memoriæ pater „
tuus non modo ſermone reſpondit, ſed legi-„
bus quoque ſanxit, in cauſa fidei eum judica-„
re debere, qui nec munere ſit impar, nec jure „
diſſimilis. Item ſi ſcripturas aut vetera exem-„
pla intuemur, quis eſt qui abnuat, in cauſa fi-„
dei, in cauſa (inquam) fidei, epiſcopos ſolere „
de Imper. Chriſtianis nō Imper. de epiſcopis ju-„
dicare? Item veniſſem imperator ad Conſiſto-„
rium

rium tuum, ſi me vel epiſcopi, vel populus ire „
paſſus foret: dicentes cauſam fidei in eccleſia „
coram populo debere tractari. Contendit „
quidem ſpiritualem cauſam, hoc eſt, religio- „
nis, ad civile forum non eſſe trahendum, ubi „
Prophanæ controverſiæ agitantur. Merito „
in hac re ejus conſtantiam laudant omnes. Et „
tamen in bona cauſa eo uſque progreditur, ut „
ſi ad vim & manum ventum fuerit, ceſſurum „
ſe dicat. Volens, inquit, locum mihi commiſ- „
ſum non deſeram; coactus repugnare non no- „
vi, arma enim noſtra preces ſunt & lachrymæ. „
Obſervemus ſingularem ſancti hominis mo- „
derationem ac prudentiam, cum animi ma- „
gnitudine fiduciaque conjunctam. Iuſtina im- „
peratoris mater, quia in partes Arrianorum „
pertrahere eum non poterat, expellere ab ec- „
cleſiæ gubernatione moliebatur. Atque id fu- „
turum erat ſi in palatium ad cauſam dicen- „
dam vocatus veniſſet. Negat igitur impera- „
torem idoneum eſſe cognitorem tantæ con- „
troverſiæ. Id quod & illius temporis neceſſi- „
tas poſtulabat, & ipſa etiam perpetua rei na- „
tura. Moriendum enim potiùs ſibi judica- „
bat, quam ut tale exemplum ad poſteros, „
ſe conſentiente, tranſmitteretur: & tamen „
ſi vis afferatur de reſiſtendo non cogitat. „
Negat enim id epiſcopale eſſe, fidem & ec- „
cleſiæ jus armis tueri: cæterum in aliis cau- „

ſis

sis quidvis se facére paratum ostendit quod „ jusserit Imperator. Si tributum petit, non ne- „ gamus inquit; agri ecclesiæ tributum solvunt. „ Si agros petit, potestatem habet vendicandi: „ nemo nostrum intervenit. In eundem modum „ loquitur & Gregorius, Sereniſſimi Domini „ animum non ignoro, quid se in causis sacer- „ dotalibus miscere non soleat; ne nostris in ali- „ quo peccatis gravetur. Non generaliter à sa- „ cerdotibus judicandis excludit imperato- „ rem: sed certas causas esse dicit, quas eccle- „ siastico judicio relinquere debeat." Hæc *Calvinus*.

Argumenta quæ thesin hanc nostram suadent, accipe. 1. Ipse Magistratus in causis sacris ecclesiastice dijudicandis, non est judex qui potestate coactiva ministris præest; sed ecclesiæ filius, & ovis, a ministris & pastoribus ecclesiæ judicandus, spirituali jurisdictione, qua ecclesia carere non potest. Hinc recte *Junius potestas spiritualis spectatur duobus modis, ut Dei, & ut ecclesiæ vel administratorum Dei. Potestati Dei omnia subjecta sunt: ecclesiasticæ vero potestati civilis subjecta est secundum quid, ac non absolute: in rebus spiritualibus, non temporalibus: voluntate, non necessitate: ad monita & instituta ministratoria, non ad coactionem (ut vocant) authoritativam, qua Dei solius est in hoc argumento: nempe tanquam ad vocem præconis, aut interpretis: qui tantisper est audiendus*

diendus & obligat auditores ſuos, dum fungitur legatione ſua. Vnde & *Calvinus* cap. citato ſect. 4. *neque enim ubi cœperunt Imperatores & Magiſtratus Chriſto nomen dare protinus abrogata eſt ſpiritualis juriſdictio; ſed ita duntaxat ordinata, nequid civili derogaret, aut cum ea confunderetur, & merito; non enim Magiſtratus, ſi pius eſt, eximere ſe volet communi filiorum Dei ſubjectione, cujus non poſtrema pars, eccleſiæ ex verbo Dei judicanti ſe ſubiicere; tantum abeſt, ut iudicium illud tollere debeat. Quid enim honorificentius (inquit Ambroſius) quam ut eccleſiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus intra eccleſiam non ſupra eccleſiam eſt. Quare illi qui ut Magiſtratum ornent, eccleſiam ſpoliant hac poteſtate, non modo falſa interpretatione corrumpunt Chriſti ſententiam, ſed ſanctos omnes epiſcopos, qui tam multi à tempore Apoſtolorum extiterunt, non leviter damnant, quod honorem officiumque Magiſtratus falſo prætextu ſibi uſurparunt.*

2. Schopus & uſus judicii & juriſdictionis in cauſis eccleſiaſticis oſtendit eas a ſeculari politici principis poteſtate coactiva exemptas eſſe, legatur hac de re idem *Calvinus* qui eodem cap. ſect. 3. ita differit. "Neque enim jus gladii habet eccleſia, quo puniat vel coerceat, non imperium ut cogat, non carcerem, non pœnas „ alias, quæ ſolent infligi a Magiſtratu. Deinde „ non hoc agit, ut qui peccavit invitus plectatur: „

ſed

sed ut voluntaria castigatione pœnitentiam „ profiteatur. Est igitur longe diversa ratio; quia „ nec quidquid sibi sumit ecclesia quod sit pro- „ prium Magistratus; neque hoc efficere potest „ Magistratus, quod in ecclesia peragitur. Ine- „ briatus est aliquis? in urbe bene constituta, „ pœnâ erit carcer. Scortatus est? aut similis, „ aut potius major. Ita erit satisfactum & legi- „ bus & Magistratui & externo judicio. At fi- „ eri poterit ut nullam det pœnitentiæ significa- „ tionem, quin potius ut obmurmuret vel fre- „ mat. An illic cessabit ecclesia? ac recipi ad „ cœnam tales nequeunt, quin fiat & Christo „ & sacræ ejus institutioni injuria. Et hoc po- „ stulat ratio, ut qui ecclesiam offendit malo „ exemplo, solenni pœnitentiæ declaratione „ offendiculum quod excitavit, tollat. *Et sect.* 1. primum hic ecclesiasticæ jurisdictionis scopus „ est, ut scandalis obviam eatur: quod si quid „ scandili obortum sit aboleatur. In usu duo „ sunt consideranda; ut a jure gladii prorsus se- „ paretur hæc spiritualis potestas, &c. neque e- „ nim vel mulctis vel carceribus, vel aliis civili- „ bus pœnis potestatem suam exercuerunt san- „ cti Episcopi, sed solo Dei verbo ut decebat, „ usi sunt. Severissima enim ecclesiæ vindicta, „ & quasi ultimum fulmen est excommunicatio „ quæ non nisi in necessitate adhibetur. Illa „ porro nec vim nec manum desiderat, sed verbi „

Dei

Dei potentia contenta eſt. Denique veteris „ eccleſiæ juriſdictio nihil aliud fuit, quam pra- „ xica, ut ita loquar, declaratio ejus, quod do- „ cet Paulus de ſpirituali paſtorum poteſtate. „ Data eſt inquit nobis poteſtas, qua demolia- „ mur munitiones, qua humiliemus omnem „ altitudinem, quæ ſeſe extollit adverſus cogni- „ tionem Dei, &c.“

3. Perſonæ, quibus juriſdictio rerum eccleſiaſticarum à Chriſto demandata eſt, evidenter arguunt, miniſtros hic coactivæ Magiſtratus poteſtati non ſubeſſe. Enim poteſtas non penes unum erat, ut pro ſua libidine quidvis ageret, uti principis poteſtas & Majeſtatis jus ſæpe eſt; ſed penes conſeſſum ſeniorum, qui erat in eccleſia. *Hæc erat communis & uſitata ratio*, inquit *Calvinus*, eodem cap. ſect. 6. *ut per ſenatum presbyterorum eccleſiæ juriſdictio exerceretur; quorum duo (ut dixi) erant genera. Alii enim ad docendum erant ordinati, alii morum cenſores duntaxat erant. Paulatim degeneravit hoc inſtitutum à ſuo primordio; ut jam Ambroſii ſeculo ſoli clerici de judiciis eccleſiaſticis eſſent cognitores; quod ipſe conqueritur his verbis, Synagoga vetus, inquit, & poſtea eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur. Quod qua negligentia aboleverit neſcio, niſi forte doctorum deſidia, vel magis ſuperbia; dum ſoli volunt aliquid videri. Videmus quantopere ſanctus vir indignetur aliquid de meliori ſtatu concidiſſe: quum*

tamen adhuc illis ſtaret ordo ſaltem tollerabilis. Quid igitur ſi has deformes ruinas intueretur, quæ nullo prope veſtigium referunt vetuſti ædificii? qua deprecatione uteretur? principio contra jus & fas, quod eccleſiæ datum erat, ſibi uni vendicavit epiſcopus. Perinde enim eſt ac ſenatu expulſo conſul imperium ſolus occuparet. Atqui ut eſt reliquis honore ſuperior, ita in ipſo collegio plus eſt authoritatis, quam in uno homine. Fuit igitur facinus nimis improbum, quod unus homo, tranſlata ad ſe communi poteſtate, & Tyrannicæ libidini patefecit aditum, & eccleſiæ quod ſuum erat eripuit, & conſeſſum à Chriſti ſpiritu ordinatum ſuppreſſit, & abdicavit. Poteſtas igitur juriſdictionis, quæ Chriſti inſtituto presbyterio eſt commiſſa, abſque tyrannide & ſacrilegio ad principis tribunal rapi, eique tribui non poteſt.

4. Cauſæ eccleſiaſticæ, quæ vere ſacræ Clericales ſeu Paſtorales ſunt, non niſi ſpirituali & eccleſiaſtica authoritate dijudicari poſſunt; poteſtate enim civili eas dijudicari abſurdum eſt, & rerum genera, jura divina & humana confundit. Omnis vero principis poteſtas eſt civilis & politica, non vero eccleſiaſtica: ut invictis rationibus in parte hujus tractatus generali evicimus. *Adminiſtrationis politicæ & eccleſiaſticæ varia eſt forma eſſentia & natura*, inquit alibi *Ameſius*. Poteſtas eccleſiaſtica tota pendet à clavibus, quas Chriſtus eccleſiæ contulit; quamobrem

rem *nisi velimus irritam facere clavium promissionem, & excommunicationem, & solennes monitiones, & quidquid tale est de medio tollere, aliquam ecclesiæ jurisdictionem demus necesse est*, inquit *Calvinus*. Hæc igitur jurisdictio Magistratui ratione muneris tribui non potest, qui potestate alterius formæ, essentiæ & naturæ gaudet; quæ à Clavibus regni cœlorum non pendet.

Cum vero ecclesia contra atacticos turbones, timultuantes sive ministros, sive alios, auxilium secularis brachii implorat, principes in rebus ecclesiasticis authoritatem suam coactivam interponere non improbamus, modo conservando ecclesiæ ordini, non turbando, disciplinæque stabiliendæ, non dissolvandæ hoc fiat. Sic *Amesius* tom. 2. in *Bellarminum* cap. 6. not. 1. de exemptione Clericorum, *causæ ecclesiasticæ cognosci etiam possunt à Magistratu civili, ad ecclesiæ ordinem conservandum & stabiliendum; & in ejusmodi causis Cleriti non magis liberi sunt jure divino à secularium principum potestate, quam alii Christiani. Duarenus* lib. 1. cap. 5. de sacris ecclesiæ ministeriis, Galliæ Regum & Magistratuum in asserenda libertate ecclesiæ adversus Papam Romanum, virtutem & constantiam laudans; *ita*, inquit, *suffragatur nobis Isidorus apud Gratianum, cujus hæc verba sunt: principes seculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam*

ecclesiasticam muniant. Et paulo post; *cognoscunt*, inquit, *se Deo reddituros esse rationem, propter ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati ecclesiam tradidit. Principes enim sunt religionis & ecclesiæ defensores, ac ut Esaias loquitur, nutricii. Id qnod Iustinianus noster expendisse videtur, cum ait se nihilo minorem ecclesiæ, quam vitæ suæ curam habere.* Sicut igitur verbi ministri sublevare debent Magistratum, ut censura spirituali curent, ne tam multi peccent in republica: sic & Magistratus puniendo, & manu coercendo purgare debet ecclesiam, à timultuantium offendiculis; ne libertates & jura ecclesiæ conculcentur. Sic conjunctæ debent esse operæ, ut altera sit adjumento alteri, non impedimento. De censura spirituali pastorum, quantum adjumenti præstet politicæ principis gubernationi, illustre testimonium in *Genevensium* disciplina præbet *Bodinus* in methodo historiarum; *quorum illud*, inquit, *laudabile est, si quid uspiam gentium, quodque rempublicam efficit, si non opibus & imperii magnitudine, certe virtute ac pietate florentem: illa nempe pontificum censura, qua nihil majus aut divinius excogitari potuit, ad coercendas hominum cupiditates, & ea vitia, quæ legibus humanis, & judiciis emandari nullo modo possunt. Hæc tamen coercitio ad Christi normam dirigitur,*

rigetur, latenter primo & amice, deinde paulo acerbius, tunc nisi pareas, sequitur interdictio sacrorum gravis & efficax, interdictionem animadversio Magistratus. Ita fit ut quæ legibus nusquam vindicantur, illic sine vi & tumultu coerceantur. Igitur nulla meritricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mendici, nulli otiosi in illa civitate reperiuntur. De civili coercitione & potestate politica, qua in rebus ecclesiasticis ecclesiæ ordo & disciplina stabilitur & conservatur gravissime *Calvinus* loquitur lib. 4. institut. cap. 11. sect. 16. "Atque adeo nihil aliud quæsierunt sancti viri, quam „ ne principes minus religiosi tyrannica violatione & libidine ecclesiam in suo munere per- „ agendo impedirent. Neque enim improbabant, si quando suam authoritatem interpo- „ nerent principes in rebus ecclesiasticis, modo conservando ecclesiæ ordini, non turbando, disciplinæque stabiliendæ, non dissolvendæ hoc fieret. Nam cum ecclesia cogendi non „ habeat potestatem, neq; expetere debeat (de „ civili coercitione loquor) piorum regum ac „ principum partes sunt, legibus edictis judiciis „ religionem sustinere. Hac ratione quum Mau- „ ritius Imperator episcopis quibusdam man- „ dasset, ut vicinos collegas a Barbaris expulsos „ susciperet; eam iussionem confirmat Gre- „ gorius hortaturque ut pareant. Ipse vero ab „ eodem admonitus, ut cum Iohanne Episcopo „

Constantinopolitano rediret in gratiam; ra- „
tionem quidem reddit cur non debeat culpa- „
ri: non tamen fori secularis immunitatem ja- „
ctat, quin potius se obsequentem fore pro- „
mittit, quoad licebit per conscientiam: & si- „
mul hoc dicit feciſſe Mauricium, quod religio- „
sum principem deceret, quum talia sacerdoti- „
bus præceperat." Ad hanc thesin probandam referenda ratio illa tam sæpe a *D. Vedelio* ingeminata, quod Magistratus sit custos & vindex utriusque tabulæ legis. De quo principum officio ita *Amesius* in *Bellarmin.* tom. 2. cap. 6. not. 42. *Ex hoc etiam probat illius ævi ecclesiam agnovisse principes scil. esse custodes utriusque tabulæ, & ipsis hoc officium imponi, curare, ut in ecclesiasticis & spiritualibus rebus Dei leges observentur.*

In rebus vero civilibus, & delictis contra reipublicæ communes & municipales leges, coram civili judice respondere debent ecclesiastici. Hinc episcopi veteres, qui alias in asserendo ecclesiæ jure rigidissimi erant, nihil lædi se ac suum ordinem judicarunt, si communibus judiciis pœnis & legibus principum subjicerentur; & ut *Calvinus* Instit. lib. 4. cap. 11. sect. 15. *Pii quoque Imperatores, nullo reclamante, ad sua tribunalia, quoties opus erat, Clericos semper vocarunt. Sic enim loquitur Constantinus in Epistola ad Nicomedenses; si quis Episcoporum inconsulte timultuatus sit, ministri Dei, hoc est, mea executione, illius auda-*

audacia coercebitur. Et Valentinianus, boni episcopi potentiæ Imperatoris non obloquuntur; sed syncere, & Dei magni regis mandata custodiunt, & nostris legibus parent. hoc sine ulla controversia tunc erat omnibus persuasum. Sed unum hac in re sedulo a Magistratu civili est considerandum; ut nempe ratio decori prudenter hic observetur, ne honoratæ dignitates vilescant, maximo ecclesiæ & reipublicæ malo, quam rem prudenter jura civilia vetuerunt. Sicut ecclesiæ incumbit in excommunicatione regum principum & Magistratuum, ut maxima cautione utatur, prout omnes patres & Theologi moderni docent: sic *Iunius* alibi in *Bellarminum* asserit, "simpliciter negandum non esse pastores & ecclesiasticos, „ etiam principes & reges, excommunicatione „ ligare posse, sed veritatem, Charitatem, pru- „ dentiam, modestiam, tolerantiam, & reveren- „ tiam ordinis publici haberi & observari opor- „ tere: ne aut contra fines veniant vocationis „ suæ, aut contra ordinis publici conservatio- „ nem, si quando causæ ejusmodi in ecclesia „ Christi fuerint ventilandæ. sic & pii principes, „ ut idem *Iunius* de Clericis lib. 1. cap. 28. not. 7. Scandala & infirmitates ecclesiasticorum de- „ ferri ad Magistratus, sive impios & infideles, „ sive imperitos, sive infestos ecclesiis & eccle- „ siasticis, & latentes hostes, prohibuerunt. Pro- „ inde ut ecclesiæ saluti consulatur & antever- „

tantur ſcandala, ab indulto, de prima inſtan- „
tia, ut vocant, eccleſiaſtici ad fora & judicia „
publica non ſunt evocandi, & ignominia affi- „
ciendi. In optima quaque republica videmus, „
placidæ compoſitioni aliquid tribui, ante- „
quam ad fora & lites veniatur. Sic jure Cæſa- „
reo legimus cautum, ut prætor litigioſum ho- „
minem, ante jubeat tentare viam compoſitio- „
nis, aut arbitrariam, quam res ad judicium „
deferatur. Sic jubentur conſules civibus ſuis „
proſpicere, ſic eccleſiis epiſcopi." Hinc non ſi-
ne laude refert *Ruffinus* lib. 10. hiſtor. cap. 2. vo-
cem illam Conſtantini ad Epiſcopos; "vos dii
eſtis a ſummo Deo conſtituti, æquum non eſt, „
ut homo judicet Deos;" quo *Conſtantinus* Im-
perator, ut inquit *Iunius* lib. 1. de Clericis cap.
28. not. 12. "pro re nata reſponſum dabat in
prima illa inſtantia partium. Nam criminatio „
nes illæ non erant loci, aut temporis illius, „
quum jam Synodus ad cauſas eccleſiæ publi- „
cas, non ad contentiones privatas, atque mun- „
danas haberetur. Conſtantinus itaque pri- „
mum (quod leges humanæ prudenter volunt) „
eos jubebat inter ſe convenire, aut per arbi- „
tros tranſigere placide: ſecundo a ſe modeſtiſ- „
ſime, & eo tempore, & loco, rejiciebat: poſtre- „
mo autem ipſos jubebat conditionis ſuæ me- „
miniſſe, ut honori Dei & eccleſiæ (cujus ſervi „
erant) & ſuo ipſorum conſulerent.

Ex-

Extraordinarie deficiente ecclesia, cum totus Clerus est irreformabilis, extra ordinem, posse procurare etiam in causis ecclesiasticis, ut ecclesia ad officium redeat, faciles confitemur. Imo viam coactionis & necessitatis humanæ ingredi potest Magistratus, ut ministeria sacra, in & ab ecclesia, restaurentur ex ordine divinitus præscripto. Vindex igitur legis atacticos potestate sua adigit ad legem servandam, ordine tamen cum lege congruente. Potestatem igitur Synodorum, Classium, presbyteriorum non evertit, cum servari potest, sed stabilit, munit, & excitat: ordini & potestati ecclesiæ stabiliendæ & conservandæ, non evertendæ, inservit.

CAP. VI.

Examen quæstionis sextæ à Clariss. Vedelio excussæ.

IN hac quæstione, Cl. D. Doctor, fimbrias potestatis Magistratus coactivæ, late extendit, in corpore quæstionis, in explicatione vero, & præcipue in responsione ad considerationes, aliquantulum contrahit. Nos dissertationes nostras omnibus hujus quæstionis particulis subjiciemus, ut ecclesiæ orthodoxæ & constitutæ, seu recte ordinatæ, libertas sarta tecta

maneat. Hæc igitur est propositio Clar. Viri, *Magistratus circa res ecclesiasticas habet potestatem, cum imperio conjunctam, & coactivam, in pastores ecclesiæ, & quasvis personas ecclesiasticas.* Quam periculorum plena hæc sit propositio, patet omnibus præjudicio partium non occæcatis: unde & Cl. Vir hinc inde in explicatione eam limitationibus quibusdam restringit. Nos, unica particula immutata, contrariam propositionem formamus & defendimus; Magistratus in rebus ecclesiasticis non habet potestatem cum imperio conjunctam, & coactivam, in pastores, & quasvis personas ecclesiasticas. Ne res in dubio relinquatur, sed discussis tenebris & involucris remotis, pateat quid orthodoxe hic sentiendum, distinctiones & limitationes justas subjicimus, quas hisce thesibus comprehendimus.

1. Omnis Magistratus potestas, quam jure Majestatis obtinet, est imperialis, architectonica, quam vi & potestate coactiva exerit, & exequitur: proinde quidquid imperio & potestati ipsius subjacet, armata manu, & vi coactiva mandare, & subditis imponere potest.

2. Res ecclesiasticæ, vere spirituales, sacræ, seu ut vocantur Clericales, & Pastorales, sunt res, quæ ad rationem conscientiæ pertinent secundum jus divinum, & authoritatem ejus demandatam ecclesiæ Dei; & proinde non ex legibus civilibus, sed ex jure divino, & legitima cogni-

Digitized by Google

cognitione ecclesiastica pendent, uti Capite superiore ex *Iunio* ostendimus.

3. Res vere & formaliter ecclesiasticæ, & spirituales, non imperantur, sive ecclesiasticis, sive laicis, coactiva hominum potestate; sed suasoria sententiæ dictione; judicio ministeriali, non prætoria authoritate: proinde tali potestate mandantur, quæ non authoritatem per se, necessitatemque affert, sed voluntario imperat. Conscientiæ enim hominum, in rebus pure spiritualibus, non subjacent imperio hominum.

4. Hinc & judicium decisivum in rebus spiritualibus Magistratui, authoritative & potestative judicanti, non competit; ita nec in illis rebus procurandis & urgendis potestate coactiva & imperiali uti potest. *In rebus conscientiæ, divinis, sacris, & ecclesiasticis, nunquam judicium Magistratui civili, ac ne imperatori quidem delatum est legitime, quia res sacræ sunt regni & cognitionis alterius*; uti recte *Iunius* Controv. 3. lib. 2. cap. 26. not. 12. sic nec imperialis, & coactiva potestas, imperatori unquam delata est legitime, in rebus conscientiæ, sacris, & ecclesiasticis.

5. Omnes igitur res, in quas Magistratus potestatem habet, cum imperio conjunctam, & coactivam, sunt res civiles, politicæ, quæ externum hominem tangunt; & non sunt ecclesiasticæ, spirituales, & conscientiæ, quæ ad inter-

internum hominem, & animæ ædificationem pertingunt.

6. Sed si quid ex vita communi & animali adjaceat, & accedat ad res hasce vere sacras, ecclesiasticas, & conscientiæ, illud potestate imperiali et coactiva Magistratus dirigitur et gubernatur, in omnibus subditis, etiam pastoribus, et quibusvis personis ecclesiasticis: omnia igitur politica civilia, quæ rebus ecclesiasticis conjuncta et implicita sunt, Magistratus mandat et procurat, potestate cum imperio et coactione conjuncta: in ipsas vero res ecclesiasticas potestatem cum imperio conjunctam non habet. Hæc orthodoxa nostra est sententia.

Ambigua igitur est propositio Cl. Viri, *Magistratus circa res ecclasiasticas habet potestatem coactivam in pastores:* vel enim ita potest intelligi, ut Magistratus potestate coactiva dicatur versari circa res ecclesiasticas, id est, in ipsis rebus ecclesiasticis, ita ut eas potestate coactiva imperet, et imponat pastoribus, seu aliis suis subditis peragendas. Hoc sensu negamus Magistratui hanc potestatem coactivam competere. Vel hoc modo potest accipi hæc propositio, ut Magistratus potestate coactiva dicatur versari in rebus civilibus et politicis, quæ cum ecclesiasticis sunt conjunctæ et connexæ: ita ut externa illa peristatica, quæ ad politicum regimen pertinent, pro imperio et authoritate coactiva decer-

decernat et regat. Hoc modo concedimus hanc professoris assertionem. Vel ut plenius, et terminis in superioribus usitatis, rem declarem, Magistratus potestatem suam objective ecclesiasticam quam habet, vi coactiva exequitur in pastores et omnes subditos: at potestas formaliter ecclesiastica, quæ non imperialis est, sed ministerialis tantum, coactiva vi et brachio seculari, executioni mandari non potest, nec a Magistratu, nec ab ecclesiasticis.

Cum vero capite primo, sectione prima, inter coactivæ Magistratus potestatis partes, et hanc numeravimus, quod procuret potestate architectonica, secundum ordinem divinitus præscriptum, ut res formaliter et mere ecclesiasticæ, rite et legitime, fiant et peragantur a personis ecclesiasticis, ad eas res pertractandas legitime vocatis: hinc etiam imperio et potestate coactiva ecclesiasticos constringere potest, ut fideliter munere suo defungantur, modo id agat ex ordine divinitus præscripto. Ita ut hæc coactiva potestas non adhibeatur ad presbyteriorum, Classium, et Synodorum officium et potestatem evertendam, sed stabiliendam et roborandam; et eo modo adhibeatur, ut via ecclesiastica, in, et ab ecclesia, deviantes pastores spirituali censurarum gladio ad officium debitum adigantur: et proinde hanc coactivam potestatem in rebus ecclesiasticis non

adhi-

adhibeat in paſtores, & alias perſonas ecclesiaſticas, niſi eccleſia ab officio deficiente; id eſt, cum totus Clerus eſt irreformabilis, & ipſa presbyteria, Claſſes, & Synodi procurare ceſſant & detractant, ut paſtores ad officium redeant. Vel cum eccleſia, cui ultimum judicium miniſtratorium competit, contra ἀπείθεις, & timultuantes eccleſiaſticos, in cauſis eccleſiaſticis, auxilium brachii ſecularis implorat, ad ordinem & eccleſiæ diſciplinam ſtabiliendam. Hoc modo video Reformatos Magiſtratui coactivam poteſtatem in eccleſiaſticos, circa cauſas & res eccleſiaſticas attribuere.

At vero quod Magiſtratus, in eccleſia conſtituta, immediate, & abſolute, in paſtores & eccleſiaſticos ſcandaloſos, in cauſis eccleſiaſticis, coactivam poteſtatem habeat, qua poſſit eos in ordinem redigere, & cogere ut officium recte & fideliter faciant, non recte ex jure divino aſſeritur. Probatur hæc noſtra negatio.

1. Quia Magiſtratus eſt nutricius & defenſor eccleſiæ, proinde ordinem & poteſtatem eccleſiaſticam, juriſdictionem ſpiritualem eccleſiæ non evertit, ſed ſtabilit: hæc juriſdictio, in rebus ſpiritualibus & eccleſiaſticis, ex jure divino, Synodis, Claſſibus, presbyteriis vindicanda eſt a Magiſtratu, ſi re ipſa defenſor, & non oppreſſor libertatum eccleſiæ ſit.

2. Magiſtratus eſt cuſtos utriuſque tabulæ legis,

legis, ejus igitur imperialis poteſtas ordinata eſt, ut conſtitutiones legis & verbi divini ab omnibus obſeruentur, & ipſe etiam eas in officio ſuo exequendo obſervet; proinde quod aliis injungitur lege Dei ad ſe rapere non poteſt, ſed tantum conſtringit, ut illi qui a via deflectunt, ordini & poteſtati a Deo ordinatæ ſe ſubjiciant; & hinc ut eccleſiaſtici in rebus eccleſiaſticis ſubjiciantur & obediant eccleſiaſticis.

3. Quod presbyterio ut munus proprium jure divino eſt injunctum, id Magiſtratui ratione officii non eſt demandatum: at vero paſtores flagitioſos, & deviantes in rebus eccleſiaſticis, in ordinem cogere, presbyterio injunctum eſt; quod ſpirituali juriſdictione, diſciplinæ & cenſuræ eccleſiaſticæ, inſpectionem habet in paſtores; & presbyterio deficiente, Claſſibus & Synodis; quæ poteſtate a Domino conceſſa, errantes & ſcandala committentes, ab eccleſia, & eccleſiaſtico miniſterio removere poſſunt; ut patet Actor. 20. 29. 30. 1. Cor. 5. 4. 7. 12. 13. 2. Theſ. 3. 14. Matth. 18. 17. 18.

4. Iudicium earum rerum ultimum & deciſivum competit Magiſtratui, quas ſubditis ſuis pro imperio & poteſtate coactiva injungit; atqui in rebus eccleſiaſticis ultimum, ſupremum, & deciſivum judicium in paſtores non competit Magiſtratui, ut ſuperiori capite 4. hujus ſectionis evicimus; ſed Synodis & eccleſiæ com-

competere demonstravimus, eis igitur et illa potestas competit, qua in ordinem rediguntur omnes ecclesiastici, qui in ejusmodi rebus delinquunt.

Vir Clar. ut magis distincte explicet, quid propositione tam generali et universali velit, pressius aliquantulo sententiam suam explanat: et primo quidem loco differit, quid ordinarie Magistratus potestate sua coactiva in pastores peragere possit. Ita igitur inquit pag. 54. *Magistratus est, non tantum monere & hortari pastores ad officium suum, & quidem recte atque secundum præscriptum verbi divini faciendum; sed etiam ipsis cum imperio præcipere, & si obedire nolint, potest eos in ordinem redigere, & cogere, ut officium recte, vigilanter, impigre, fideliter faciant, atque à malis & scandalosis actionibus abstineant. Adeoque pro delicti ratione, potest in eos animadvertere civiliter, efficere seu mandare, ut suspendantur, aut removeantur ab officio; speciatim si seditiose concionentur, si populum contra Magistratum concitare conentur, si in Magistratum contumelioſi sint, & in eum convitiis & probris debacchentur (quod est unum ex gravissimis delictis, quorum in scriptura falsi doctores rei peraguntur 2. Petr. 2. 10. Iud. 8. veri autem doctores ajunt hoc grave crimen esse & non ferendum in repub. bene constituta Sibbr. contr. Grot. pag. 1.) Si errores aut hæreses doceant, si denique alioquin flagitioſi sint.* Multa hic quæsita et po-

et poſtulata ſimul conjiciuntur: particulares Caſus a *Vedelio* enumerati particulariter examinandi veniunt, an in iis Magiſtratui iure Dei conceſſum ſit poteſtatem ſuam coactivam adhibere.

1. Igitur aſſerit *Magiſtratus eſſe paſtoribus cum imperio præcipere ut officium recte atque ſecundum præſcriptum verbi Dei faciant, & ſi obedire nolint, poteſt eos in ordinem redigre, & cogere ut officium recte, vigilanter, impigere faciant, atque a malis & ſcandaloſis actionibus abſtineant.* Nos vero hanc inſpectionem et curam primo et præcipue presbyterio vindicamus; cui id ratione muneris eccleſiaſtici incumbit, juriſdictione ſpirituali miniſtris præcipere ut recte officium impleant, et ſi obedire nolint, cenſuris et pœnis ſpiritualibus, et ſi neceſſitas poſtulet, remotione a munere paſtorali, imo et excommunicatione minore vel majore, eos in ordinem cogere; et cum ceſſator eſt presbyterium, Claſſibus et Synodis competit deſpicere de cauſa illa paſtorali, quid ex verbo Dei fieri opus ſit: Sic doctiſſimus *Voetius* inter actus functionis ſeniorum ſeu presbyterorum, *qui communi liturgia & conſtitutionibus eccleſiaſticis in Belgio circumſcribuntur*, et hoſce enumerat, *quod attendant verbi miniſtris, tanquam Ephori, advigilantes ne in moribus aut doctrina exorbitent; ſed ut debite erga Deum erga ſe mutuo, erga gregem ſuum, erga omnes qui intus &*

extra sunt se gerant, omnesque ministerii sui partes publice privatimque impleant. Item *quod attendant ministris extraneis, ut & ministerii candidatis; ne scilicet minus idonei, aut scandalosi, aut ἄπακτοι, verbi prædicationem aut sacramentorum administrationem in ecclesia sibi commissa usurpent.* In thesibus de Senioribus et presbyteris Gubernantibus part. 1. thesi 2. Et *Gersomus Bucerus* vir longe Clarissimæ memoriæ in genere expresse tradit, *presbyteria ad curandas sanandasque conscientias, aberrantes in rectam viam revocandos, & ecclesiam à scandalorum fœtore expurgandam instituta esse; hinc seniorum esse peccatores seriis admonitionibus ad delicti agnitionem adducere, à peccandi proposito in posterum absterrere, ad veram denique resipiscentiam testandam promovere & flectere.* Et si rem ex rationum momentis pensitare velimus, luce clarius patescet, pastores spirituali ecclesiæ jurisdictione, & censura ecclesiastica, non vero civilis Magistratus brachio seculari, in ordinem cogendos, ut sedulo impigri fideliter officio defungantur. Nam

1. Causa hæc mere est ecclesiastica, quæ de officio pastorum ecclesiastico, & spirituali ejus administratione tractat, quæ spiritualem pœnam, seu coercitionem decernit. Iam vero per omnes ætates certissima documenta exhibentur, ad eos quibus ecclesiæ ministeria creduntur, causarum etiam ad res ecclesiæ spirituales per-

pertinentium cognitionem & dijudicationem deferri oportere in ecclesia constituta; & non civili seu seculari Magistratui. Apud præstantissimos Theologos in confesso est Apostolorum ævo seniores in ecclesia extitisse, qui in causis spiritualibus, ecclesiastico agendi modo, fidelium cœtibus gubernandis præfecti erant.

2. Vt pastores ad officia excitentur, & constringantur, cum desides non satis gnaviter, aut fideliter partes suas in ministerio tuentur, modo agendi ecclesiastico, solenni monitione, censura, & spirituali coercitione procedendum est ordine divino in ecclesia ordinata. Proinde id ab ecclesia spirituali ministerii potestate, non à Magistratu coactiva vi, præstari debet. Hinc quod quidam curam coercendorum delinquentium ecclesiæ demandatam, Magistratui, qui a sceleratis pœnas exigit, asscribunt, id ab eorum perniciosissimo errore manat, qui spiritualem jurisdictionem a civili, ecclesiæ censuram a Magistratus vindicta, regnumque Christi a mundi imperiis discernere non possunt. De discrimine judicii politici & ecclesiastici in delinquentes exercendi acutissime differit *Bucerus* de Gubernat. eccles. pag. 94. *Discrimen utriusque*, inquit, *respectu potestatis* ἐπιτιμητικῆς, *de qua nunc sermo nobis est, in coercendis delictis occupatæ, triplex constituo. Primum mutuor ab objectis, quæ mihi sunt personæ vitiaque legitimis pœnis & coercitioni-*

bus vindicanda. Etenim neque ecclesia pœnitentes segregat à societate sua, quos tamen Magistratus in exilium pellit, aut alia quavis ratione punit, aut etiam morte afficit; neque Magistratus animadvertit in plurima delicta, quæ si irreprehensa habeat ecclesia, & impunita emittat, ingentem scandalorum molem, in ruinam perniciemque multis animabus objecerit. Secundo differunt agendi modo, qui duplex est, unus in cognitione causæ, alter in correctione cernitur. Magistratus enim ex legibus humanis à se positis telam judiciariam texit, causamque cognoscit. Ex earum enim præscripto, tum admotis testibus, habitisque quæstionibus reum ad peccati cognitionem adigit, tum in convictum damnationis sententiam pronunciat. Sed ecclesia ex solo Dei verbo judicat, seriisque monitionibus, cum mansuetudine adhibitis, peccatori persuadet, ut gloriam Deo tribuere, culpamque fateri non gravetur. Deinde politica potestas judicia sua exequitur modo carnali, nimirum mulcta, carcere, gladio, aliave pœna capitali. Ecclesiastica vero spirituali modo, dum ex præscripto verbi Dei, censura, objurgatione, suspensione, & excommunicatione in peccatorem utitur. Tertio finibus distinguuntur, Magistratus in coercendis sceleribus huc respicit, ut legum suarum authoritate stabilita, civium bona, & corpora, & disciplinam externam tueatur, & humanam societatem quietam tranquillamque præstet. Rectorum ecclesiæ finis est, ut peccator ad salutem resipiscat, & commune eccle-

sia

ſiæ bonum ſublato offendiculo procuretur. In hanc, inquit, *ſententiam frequentes tranſeunt præſtantioris notæ Theologi; & citat Melanchonem in Ethic. de excommun. eundem in Matth. cap.* 18. *Zanchium de Stat. pecc. & legal. loc. de diſcip. eccleſ. Hemmingium in* 1. *Cor.* 5. *Aretium in* 1. *Cor.* 5. & alibi aſſerere non dubitat idem *Bucerus, quod qui diſcrimen inter ſpiritualem & civilem corrigendorum vitiorum modum nobis eripere conantur: rebus Chriſtianis noctem tenebroſiſſimam offundant. Priori enim conſcientiæ ad pietatem cultumque divinum, & proximi amorem informari debent: poſteriori vero ad civilitatis officia, & externæ ſocietatis conſervationem inſtituimur; hunc politicarum legum placitis, illum Euangelii præceptis expoſitum habemus.* Cum igitur hæc deſidum paſtorum coercitio pro ratione delicti fiat, & fieri debeat, gladio ſpirituali, verbo, cenſura, vel diſciplina eccleſiaſtica; idque in hunc finem, ut qui peccavit reſipiſcat pœna admonitus, atque ita in familia & miniſterio Dei emendatus retineatur; non a Magiſtratu vi coactiva, ſed ab eccleſia poteſtate ſpirituali & miniſteriali, id fieri oportet. Sin minus confuſio & pernicioſiſſimorum errorum origo in eccleſiam introducitur: ſcriptum a *Victorino Strilegio* loc. commun. par. 4. loc. de Magiſtr. cap. 7. " Poteſtatis eccleſiaſticæ & politicæ diſcrimine ignorato magnas con- „
fuſiones & perturbationes officiorum & vo- „

cationis fieri, & gubernatores πολυπραγμόνας, ἢ ἀλλοτριεπισκόπους evadere." Et ibidem cap. 2. & part. 3. loco de pœnitentia cap. 9. *Errorum irrumpentium in ecclesiam duos præcipue fontes esse indicat, historiarum ignorationem, & confusionem disciplinæ politicæ & ecclesiasticæ.*

3. Sub Veteri Testamento κρίσεις ecclesiastica a politicis distingui Deum voluisse facile perspicimus, tum ex Mose, controversias quæ inter Israelitas exorituræ essent, neque in minoribus conventibus decidi possent, deferri vel ad pontificem, vel ad judicem mandante; cum Iehosophati facto præficientis utrique consessui distinctos judices Deuter. 17. 9. 2. Paral. 19. 8. Quod ut planius fiat ajo, inquit *Bucerus*, in „ Veteri populo judicia ecclesiastica, tum Sy- „ nagogica singularum civitatum, tum sum- „ mum illud, quod conveniebat Hierosolymis, „ a mere civilibus, tum inferioribus quarumli „ bet civitatum, tum supremo illo Hierosolymis „ coeunte, primis temporibus distincta fuisse. „ ac primo quidem Synagogarum consessus a „ mere forensibus civitatum judiciis quadrupli- „ ci discrimine separo. Primum a rerum causa- „ rumque judicandarum consideratione mu- „ tuor. Quum enim duo essent civitatum me- „ re civilia judicia; minus quod tribus, vel ut *Io- „ sepho* placet septem judicibus constabat; & „ majus quod viginti tribus; illud quidem de pe- „

cunia-

cuniariis cauſis & leviculis injuriis cognoſce-„
bat: iſtud vero circa graviores & capitales cau-„
ſas occupatum erat. Quæ in Synagogis tracta-„
bantur, erant aut mere eccleſiaſtica, ad doctri-„
næ & cæremoniarum dijudicationem, ad pre „
cum exercitia, denique ad ſpiritualem coerci-„
tionem pertinentia; aut mixti generis cujuſ-„
modi ſunt caſus matrimoniales; Zelotypiæ, „
aliaque ſimilia. Secundo conventuum locis „
diſcernebantur hæc judicia. Illa enim in civi-„
tatum portis exercebantur; iſta in ædibus, quæ „
Synagogarum conventibus deſtinatæ, ſimile „
aliquid cum templis noſtris habuerunt, & ora-„
torii appellatione a quibuſdam celebrantur. „
Tertium diſcrimen ab officiorum actionum-„
que diverſitate ſumitur. Civilia judicia capi-„
tales pœnas infligebant: eccleſiaſtica punie-„
bant verbo & excommunicatione: hinc alibi „
ἀποσυναγώγων mentio, qui ex cœtu Iudaici po-„
puli Synagogæ judicio excludebantur, &c. „
ſupereſt quarta ſeu poſtrema differentiæ, quæ „
ſumitur a perſonis ex quibus utraque judicia „
compoſita fuerunt. Civilibus, primarii viri, „
qui e corpore Senatorum cujuſque civitatis le-„
gebantur; Synagogicis ſcribæ & Levitæ præ-„
fuerunt." Diſſert. de gubernat. eccleſ. pag. 61.
De ſummo vero judicio quod Hieroſolymis
conveniebat, ita inquit pag. 94. "Ex iis quæ
hactenus a me producta ſunt, primis tempo-„

Digitized by Google

ribus duo ſuprema Synedria Hieroſolymis „
fuiſſe conſtat, quæ tripliciter diſtincta fuerunt, „
nimirum rebus, perſonis, actionibus. Res de- „
ferendæ ad eccleſiaſticum Synedrium ſpiri- „
tuales & cultui divino deſtinatæ erant: huc re- „
ferenda dogmatica, moralia, cæremonialia. „
Quæ autem ad civilis Synedrii cognitionem „
dijudicationemq; pertinebant, politica erant, „
eorumque alia univerſalia, ad totam gentem „
aut tribum aliquam ſpectantia; alia particula- „
ria, quæ ab inferioribus judiciis dirimi non „
poterant, ſed vel partium appellationibus, vel „
judicum ſententiis ſupremo Synedrio dijudi- „
canda obvenerunt. Deinde hæc judicia per- „
ſonis tum ſummorum judicum, tum aſſeſſo- „
rum disjuncta fuiſſe aſſero. In Eccleſiaſtico „
ſummus Pontifex præſidebat cui primarii ſa- „
cerdotes & paternarum familiarum principes „
aſſidebant. Politici vero præſes erat regis de- „
legatus; hujus collegæ & aſſeſſores, principes „
populi & ſcribæ. Poſtremo etiam actionum „
& officiorum varietate differebant. Eccleſia- „
ſticorum enim judicum fuit, doctrinæ contro- „
verſias decidere, de Pſeudo-propheta judica- „
re, juris interpretationem edere, & de ſacris „
miniſteriis, cæremoniarum ritibus, ſimilibuſ- „
que quæ inciderent diſceptationibus, ſenten- „
tiam ferre. Civilium vero partes erant, de pa- „
ce decernere, de facto pronunciare, in delin- „
quen-

quentes & facinoroſos ex legis ſententia ani- „
madvertere; & quæ alia hujus generis eſſent. „
Si quis plura velit de hac diſtinctione eccleſia-
ſtici & politici judicii ſub Veteri Teſtamento,
legat nuperam *Tranſlationem Belgicam*, cum no-
tis marginalibus in Deut. 17. & 2. Paral. 19. *Iu-
nium* in eadem loca, & in *Iremico* ad Pſalm. 122.
verſ. 5. Item in præfatione in numeros ad *Iaco-
bum Scotiæ regem*; *Zepperum* de lege Moſaica fo-
renſi lib. 5. *Bertramum* de politia Iudaica cap. 11.
Cl. Cloppenburgium in Gangræna Theol. Anaba-
ptiſt. part. 3. cap. 16. pag. 438. Cum igitur ſa-
cerdotibus injunctum ſit, ut inter ſacrum &
prophanum, interque mundum & immundum
diſcernerent; tum ut Iſraelitas Domini ſtatuta e-
docerent Levit. 10. 10. Ezec. 22. 26. & eos, qui
immundi cenſebantur, a ſacrificiis ab eſu Pa-
ſchæ, & templi aditu, aliiſque ſacris ad tempus
arcerent; ut Sacra Hiſtoria teſtatur Numeri 9.
6. 7. 10. 11. & 19. 13. 14. 15. 16. 2. Paral. 30. 18.
19. 20. Hinc filiis Zadoki hoc alibi laudi da-
tur, quod perſecutionis tempore ſanctuarii le-
ges obſervaſſent, Iſraelitis interea & Levitis
quam plurimis a vera religione deficientibus, &
alienigenarum admiſſione miniſterium domus
Dei profanantibus Ezech. 44. 15. & 48. 11.
Hanc poteſtatem, qua excludi ab altari impuri
quique debuerunt, ad Magiſtratum non perti-
nuiſſe apparet. Hinc etiam notatur, civilibus

judiciis & pœnis a Magiſtratu irrogatis, tum confeſſionem peccati apud ſacerdotem, tum expiationem, quæ per ſacrificia fiebat, ſuperadditas tamen fuiſſe Levit. 6. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Num. 5. 6. 7. 8. Adde non exequente officium Magiſtratu, indignorum excluſioni, quæ ad ſacerdotum & Levitarum munus pertinebat, locum in Iudæorum eccleſia tamen fuiſſe. Ex quibus manifeſtiſſime liquet ſub Veteri Teſtamento judicium de impuris a ſacris removendis ad ſacerdotes pertinuiſſe; neque brachio Magiſtratus ſeculari, ſed poteſtate ſacerdotali, ſpirituali, & eccleſiaſtica coercitione, ad expiationem & emendationem adductos fuiſſe. Et vero ordinem iſtum, olim à Deo ſub Veteri Teſtamento inſtitutum, & à patribus quam religioſiſſime obſervatum, ad ſolam eccleſiæ ἐυταξίαν divinam, non ad legis pædagogiam, aut illius politiæ diſtinctam rationem pertinuiſſe, probarunt jamdudum doctores reformati graviſſimi, *Anthonius VValæus*, *Gerſomus Bucerus*, aliique ab ipſis citati.

4. Quemadmodum ex ſacra Scriptura diſcimus in Iſraelitica republica, ſedente pio Magiſtratu, pertinuiſſe ad ſacras perſonas, cum mundorum immundorumque, & cæremonialium, & moralium diſcretionem, tum excluſionem à Symbolis gratiæ: ſic in Novo Teſtamento, priuſquam Magiſtratus ſe Chriſto ſubdidiſſet, totum

totum ſpirituale regimen penes eccleſiam fuiſſe in confeſſum venit. quam vero exercendæ ſpiritualis juriſdictionis rationem Apoſtoli eccleſiis a ſe fundatis præſcripſerunt, eandem omnium ætatum locorumque eccleſiis, ab eorum exitu fundandis, exemplaris vice, quod perpetua obſervatione æmularentur propoſitam eſſe voluerunt. Scio acerrime contendere Remonſtrantes, eorumque fautores, gubernandæ eccleſiæ formam ab Apoſtolis inſtitutam ſub Magiſtratibus Chriſti Euangelium amplexis, immutari debuiſſe; ſed an proferuntur oracula divina, quibus abrogatio prioris politiæ ab Apoſtolis ordinatæ, in eo caſu quem ponunt, jam olim imperata fuit? Nihil minus. Eone vecordiæ aut ſtuporis dilabi noſtrum fuerit, ut ea quæ ab Apoſtolis tradita fuerunt, nullo eorum præmoniti mandato, irrita fieri, aut certe in aliam formam verti, ſuſque deque habeamus? *Manifeſtiſſimum eſſe infidelitatis argumentum*, ſcribit, *Baſilius* lib. de Confeſ. fidei, *ſignumque arrogantiæ certiſſimum, vel rejicere aliquid eorum quæ ſcripta ſunt, vel eorum quæ non ſcripta ſunt introducere.* Sed & priſcæ etiam eccleſiæ, ſimulatque Chriſtianos Magiſtratus nacta eſt, & conſtitutiones & praxin perpetuam ſtare à nobis manifeſto palam eſt: *hoc qui negat aut ignorat* (inquit *Gerſomus Bucerus*, de gubernatione eccleſiæ pag. 98.) *plane hoſpitem eſſe in prioris & purioris eccleſiæ hiſtoria,*

ria, ne quis negare aut ignorare possit, documenta profero. Imperatores enim Christiani, ut ordinationis, ita jurisdictionis ecclesiasticæ potestatem inviolatam ecclesiis reliquerunt. Nam & presbyteria & Synodos provinciales ipsis permiserunt, ut in iis pro more, qui inde ab Apostolorum ætate obtinuerat, negotia quæ spiritualis fori erant, tractarentur. Longam deinde exemplorum farraginem subjicit, & hisce verbis dissertationem consignat; *hujus autem generis quam plurima documenta vetus historia, & jus canonicum suppeditat, ut qui vel minimum operæ in ejus lectione posuerit, mox insigniorem cumulum ad manum habiturus sit. Itaque veterem ecclesiam consulenti, vel cæco, pene dicam, veritas appareat.* Quis igitur in spiritualibus ecclesiasticorum coercitionem, ex jure divino ecclesiasticis propriam, Magistratui transscribere potest legitime? ut potestate coactiva id peragat, quod in ecclesia & regno Christi, spirituali jurisdictione ex Christi institutione exequendum est. Expendantur loca Matth. 16. 19. & 18. 17. 18. Rom. 16, 17. 1. Cor. 5. 5. 13. Gal. 5. 12. 2. Thess. 3. 6. 14. Tit. 3. 10. 1. Tim. 1. ult. Apoc. 2. 14. 15. quæ de disciplina ecclesiastica agunt, cum eorum explicationibus & vendicationibus a Reformatis contra *Remonstrantes*, *Erastum* alioque propugnatis. Ex hisce liquido constare arbitror, in ecclesia constituta coercitionem qua pastores desides

&

& ſcandala præbentes, in ordinem redigun-tur, & coguntur, ut officium recte, vigilan-ter, impigre, & fideliter faciat, atque a malis & ſcandaloſis actionibus abſtineant; ſpiritua-lem & eccleſiaſticam eſſe, gladio ſpirituali per-agi ab eccleſia ejuſque presbyterio guberna-te; Magiſtratus vero coactiva poteſtate & cum imperio officio ſuo defungenti, non eſſe de-ferendum.

2. Aſſerit Vir Cl. *Magiſtratum pro delicti ra-tione poſſe in paſtores* (malos nempe & ſcandalo-ſos) *animadvertere civiliter; efficere ſeu mandare, ut ſuſpendantur aut removeantur ab officio.* Vt pa-teat, quid orthodoxe in hoc caſu ſentiamus.

1. Rejicimus ſententiam hierarchiæ Anti-chriſtianæ Pontificiorum, qui ſtatuunt Cleri-cos in rempublicam delinquentes, primo de-gradandos (ut loquuntur) antequam a Magi-ſtratu ſeculari puniri poſſint.

2. Aſſerimus, ſi eccleſiaſtici talia crimina committant, quæ civili animadverſione ſunt di-gna, & in aliis ſubditis, ſocietatis politicæ mem-bris, civili pœna mulctantur, Magiſtratum ci-viliter in perſonas eccleſiaſticas animadvertere poſſe; hic enim toto cœlo diſſident orthodoxi a papalibus ſtatutis. Ea tamen vitia, quæ legibus humanis & judiciis non emendantur, nec coer-centur pœna civili, etiam in miniſtris civili ani-madverſione jure puniri non poſſunt.

3. Con-

Digitized by Google

3. Concedimus & Magiſtratum ſtatuta quædam civilia decernere poſſe, modo juſta, & æqua, & ſecundum leges civiles, & municipales ſtatuantur, quæ mores, & munia paſtorum, & eccleſiaſticorum concernunt; eaque etiam a contemptu & violatione pœna civili vindicare; ſi id non ad eccleſiæ ordinem turbandum, ſed conſervandum, ad diſciplinam ſpiritualem ſtabiliendam, non diſſolvendam fiat. Talia enim ſtatuta figere, quæ eccleſiæ diſciplinam evertant, aut enervent, nec fas eſt Magiſtratui, nec in eccleſia ordinata ultro admittendum. Nam ut recte *Ameſius, non eſt penes hominem, vel tollere quidquam eorum, quæ Chriſtus eccleſiæ ſuæ conceſſit, vel alia ejuſdem generis iis adjicere: quamvis poſſit ac debeat omni ratione legitima curare, ut illa, quæ Chriſtus inſtituit, promoveri poſſint ac confirmari.* In Medulla Theologiæ cap. 29. theſ. 24. & cap. 37. theſ. 4. 5. *ita inquit, inſtituta eſt hæc diſciplina* (eccleſiaſtica nempe) *& præſcripta ab ipſo Chriſto Matth.* 16. 19. *&* 18. 15. 16. 17. 18. *atque adeo eſt juris plane divini: neque ab hominibus pro ſuo arbitrio tolli, minui, aut commutari poteſt. Imo peccat in Chriſtum authorem & inſtitutorem, quiſquis non facit, quod in ſe eſt, ad hanc diſciplinam in eccleſiis Dei conſtituendam, & promovendam.*

4. Attamen negamus Magiſtratum rite ob delicta (ut vocant) canonica, & offenſas in re eccle-

ecclesiastica, quum in re sacra peccatur, in ministros civiliter animadvertere posse: nos enim id juris communis esse existimamus, cum *Iunio*, ut reus ex malefacto sortiatur judicem & pœnam. Proinde si in re sacra peccet pastor, ad sacerdotes pertinet cognitio illius, & ecclesiastice ac non civiliter agi cum eo oportet. Confusio enim est rerum & potestatum, delictum in re sacra, & ecclesiastica, civili pœna punire, quod pro ratione & natura sua, coercitione spirituali est vindicandum. Vt in Veteri Testamento delicta in sanctuarii & sacrificiorum leges sacras commissa, a sacerdotibus, censuris spiritualibus, a sacris suspensione, &c. punita fuerunt; non vero seculari brachio principis civilis, aut pœnis temporalibus, in constituto ecclesiæ ordine. In superioribus, ne judicium quidem in causis sacris & ecclesiasticis Magistratui deferendum esse, multis orthodoxorum argumentis demonstravimus; civili vero animadversione punire tale crimen cujus judicium decisivum, Magistratui ex jure divino denegatum est; Iniquum & absurdum est.

5. Quod D. frater asserat, *Magistratum efficere seu mandare posse, ut pastores suspendantur, aut removeantur ab officio*, ambigue & subdole dictum; ut hasce exuvias detrahamus, asserimus, Magistratum civili animadversione & pœna jure & legitime efficere non posse, ut pastor scandala com-

committens, ab officio ſuſpendatur, aut removeatur, judicio ſeu actione ipſius Magiſtratus: nam cenſura depoſitionis aut ſuſpenſionis, eſt pæna ſpiritualis, quam primario civili animadverſione infligere non poteſt Princeps; eſt enim contradictio in adjecto. Sed de hac quæſtione an Magiſtratus ſuſpenſionis cenſuram irrogare, aut depoſitionis pænam infligere poſſit, vide capite antecedenti. Negamus etiam Magiſtratum efficere, ſeu mandare poſſe, ut paſtor ſcandalum committens ſuſpendatur aut removeatur ab officio, ob mandatum, aut præceptum Magiſtratus; ita ut Eccleſiaſticus Senatus, aut presbyterium, mandatarii inſtar, ex præſcripto Magiſtratus, ſuſpenſionem aut depoſitionem demandatam, exequi teneatur. Ita enim Magiſtratus clavium poteſtatem Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus peculiari jure traditam aſſumeret: excommunicationem enim, & remotionem paſtoris decerneret Magiſtratus, presbyterium vero ſententiam excommunicationis & depoſitionis, tantum denuntiaret & exequeretur: judex eſſet in cauſa clericali & paſtorali Magiſtratus, ille de crimine cognoſceret, judicaret, decerneret, & formaret ſententiam; presbyterium eſſet tantum miniſter, ſeu potius carnifex, qui ſententiam ex præſcripto Magiſtratus recitaret, & exequeretur. Pæna hæc remotionis & privationis a paſtoralis officio eſt

pæna

pæna excommunicationis, pæna ſpiritualis, qua reus privatur ſancto miniſterio, precum publicarum beneficio, ſacramentorum perceptione, & fidelium conſortio, quæ infligitur poteſtate clavium, qua ejicitur peccator extra eccleſiam, & exponitur Satanæ. Etiam decernendo non permiſſum eſt Magiſtratui, in resiſtas ſpirituales ſe intromittere. Doctiſſimus *Calderwood* in Altari Damaſceno differens contra ordinem Hierarchicum, quo excommunicandi poteſtas defertur Epiſcopi Cancellario, Officiali ſeu Commiſſario laico, extra ordines ſacros conſtituto, tanquam judici, qui cenſuræ eccleſiaſticæ ſententiam decernit, attamen qui tenetur accerſere & ſibi aſſociare, eruditum aliquem presbyterum, ab Epiſcopo ſufficienti authoritate munitum, qui ſententiam excommunicationis denunciet, aſſerit, *eos novo commento illudere eccleſiis*; & probat decretum excommunicationis non competere laico, ex conſtitutione quadam *Henrici Chichele archiepiſcopi Cantuarienſis*, quæ apud *Lindvodium* Canoniſtam reperitur, qua id eccleſiaſticæ authoritati, eccleſiæ honeſtati & decori in vilipendium cedere affirmatur; ita ſe habet conſtitutio apud Lindv. provinc. lib. 3. titul. de Clericis conjugatis, cap. cum eo; *cum ex eo quod clerici coniugati, bigami, nec non laici, iuriſdictionem eccleſiaſticam exercere, ac de criminibus & exceſſibus, ad*

forum & coercitionem ecclesiæ pertinentibus, interdum suo, interdum sub alieni nominis umbra ceu velamine investigare, & inquirere, eaque punire, & corrigere, ac excommunicationum litteras, & suspensionum decernere præsumunt, ac negotiorum correctionum hujusmodi scribæ & registrarii, ac registrorum eorundem custodes existunt, non modicum patiatur ecclesia scandalum, ac ecclesiastica vilescat authoritas & censura. Nos igitur ejusmodi scandalis occurrere, ac ecclesiæ honestati, & decori providere volentes, &c.

Ne tamen videamur denegare Magistratui judicium, & potestatem quæ ipsi competit, & jure divino deferenda est; distinguimus inter decretum & sententiam judicis decernentis in causa, & foro ecclesiasticæ jurisdictionis; & inter judicium & approbationem monitoriam & discretivam, de utilitate, & necessitate depositionis, seu excommunicationis ministri scandalosi. Prius judicium ecclesiæ deferendum est ex institutione Christi; posterius Magistratus habere & peragere potest. Sed hoc judicium monitorium non tollit authoritatem, aut potestatem judicandi & excommunicandi ab ecclesia; sed tantum exsuscitat: nam qui mandantibus ac monentibus aliis, præsertim in superiori gradu positis, officio suo fungitur, non eo ipso potestate sua privatur: liberum enim est iis, qui monentur, non excommunicare, aut removere, si

de

de libertate abſoluta loquamur ; & in ipſorum poteſtate poſitum eſt, tollere ſceleratum ab eccleſia, etiam non monente Magiſtratu ; & non obſtante ſententia, & judicio monitorio Magiſtratus, miniſter ſcandaloſus non eſt excommunicatus, aut remotus à miniſterio, ſi ſententia & judicio decretorio eccleſiæ non fuerit excommunicatus, aut remotus. Peccat quidem eccleſia, non parens monitis Magiſtratus, in re tam perſpicua, penes ipſam tamen poteſtas manet, non excommunicandi, aut removendi. Et cum deeſt officio ſuo eccleſiaſticus ſenatus, acriter eum objurgat & monet Magiſtratus, ut tandem exerceat poteſtatem ſibi traditam ; non tamen in ſtatu eccleſiæ conſtituto & ordinato, externa & armata vi, & pro imperio cogit, aut ſubigit presbyterium ad ſpiritualem hunc eccleſiaſticæ juriſdictionis actum exequendum : ſed excitat, & roborat ſpiritualem Claſſium & Synodorum juriſdictionem, qua eccleſia particularis ad officium faciendum in ordinem redigatur. Quid vero extra ordinem in ſtatu eccleſiæ corrupto, & collapſo, facere poſſit poſtea diſpiciendum. Sic Paulus 1. Cor. 5. 1. 2. 3. 4. 6. decernit & judicat (κέκρικα inquit) ut ſceleratus ille tradatur Satanæ. verbo κρίνειν hic non ſignificatur ſententia judicis decernentis in foro juriſdictionis eccleſiaſticæ, prout debet fieri in excommunicatione; ſed tantum Pauli judicium & approba-

tiõ de utilitate, & neceſſitate excommunicandi tam ſceleratum. Nondum enim erat lata ſententia, cum ſcripſit Epiſtolam illam Paulus; nec etiam hic fertur à Paulo ſententia excommunicationis; ſed tantum oſtendit inceſtuoſum illum dignum eſſe, ut in eum feratur ab ipſis Corinthiis; & mandat, & defert iis poteſtatem excommunicandi; *tollite igitur*, inquit, *iſtum improbum ex vobis ipſis, expurgate vetus fermentum*; & verſ. 12. *Nonne de iis, qui intus ſunt, judicatis:* ubi utitur verbo κρίνειν, quod judicialem in foro juriſdictionis eccleſiaſticæ ſententiam hoc loco ſignificat, ut oſtendunt antecedentia & conſequentia.

. . *Hanc poteſtatem coactivam*, D. Profeſſor aſſerit, *quod Magiſtratus adhibere poſſit in paſtores, ſpeciatim hiſce in caſibus.* 1. *Si ſeditioſe concionentur.* 2. *Si errores aut hæreſes doceant.* 3. *Denique ſi alioquin flagitioſi ſint.* In genere hic notandum duo vitiorum genera eſſe, quæ paſtores alioſque eccleſiaſticos pœna dignos conſtituunt; quædam, quæ civili & humanæ obedientiæ; alia, quæ eccleſiaſtico ordini & diſciplinæ repugnant: priora à judice civili, ex jure & legibus civilibus, & municipalibus reipublicæ dijudicanda, & coercenda veniunt: poſteriora à ſolo eccleſiaſtico judice, ſecundum leges Dei & eccleſiæ, vindicta caſtiganda ſunt ſpirituali, & eccleſiaſtica. Priora rurſus duplicis generis ſunt:

vel

vel talia enim vitia committit ecclesiasticus, quæ quamvis condigna à Magistratu pœna coerceantur & puniantur, non tamen per pœnam illam civilem ex munere & executione muneris ecclesiastici necessario excidit, aut removetur. Vel talia committit vitia, quæ cum pro ratione demeriti à Magistratu civili puniuntur, pastor qui ea commisit, ex necessaria consequentia, excidit ex functione, & dignitate ecclesiastica, quam ex ecclesiæ vocatione obtinebat. Hic Abiathari erat casus, & eorum qui juste a Magistratu proscribuntur, aut incarceratione, seu exilio mulctantur; & inde secundario, & ex consequenti privantur, & removentur ab officio ecclesiastico. Hisce præmissis ad speciales casus a D. Professore allatos descendimus.

De primo ita inquit, *speciatim si seditiose concionentur, si populum contra Magistratum concitare conentur, si in Magistratum contumelioſi sint, & in eum convitiis & probris debacchentur.* In hac causa hæc decernimus.

1. Excitare seditiones esse crimen civile, capitale, cujus judicium, decisivum, & vindicta Magistratui competit, in quacunque persona reperiatur, cum crimen in evidenti facto constat.

2. Sed explicandum erat, quid sit seditiose concionari? quando pastores populum contra Magistratus concitare conentur? quando in

Magiſtratum contumelioſi ſint? & in eum convitiis & probris debacchentur? an cum vitia eorum qui in Magiſtratus dignitate ſunt, quæque ut homines privati committunt, pro concione a paſtoribus corripiuntur? vel cenſura eccleſiaſtica notantur? an cum vitia Magiſtratus, quæ tum ſcandalo & propalam in regimine & officio committunt, cenſura verbi Dei, qua privatim, qua publice taxantur? an cum molitiones iniquæ, & regimen depravatum contra libertatem religionis & reipublicæ, in ejus & eccleſiæ detrimentum & everſionem tendens, reprehenditur? hæc explica quæſo vir Cl. ne incentoris inſtar corrupto hoc ſeculo, & iniqua mundi ſenectute, oleum camino addas: ne Apoſtolos, Prophetas, ſacerdotes, alioſque viros Dei; hujus criminis reos agas: & ne fidelis piorum paſtorum zelus, & debita officii executio, ſub prætextu ſeditioſæ concionis, & convitii in Magiſtratum, opprimatur, & perſecutionem patiatur. Certum eſt, ſeditiones contra Magiſtratum concitare, contumelias & probra in eum debacchari eſſe vitia atrocia, etiam in paſtore civili animadverſione digna: ſed et compertum eſt odioſis illis titulis παροικίαι fidelium paſtorum opprimi; cenſuram verbi Dei et diſciplinæ eccleſiaſticæ in tauros Baſan et apros ſylveſtres retundi, perfringi, conculcari; principes et Magiſtratus, ſeductionibus mundi et

ſatanæ variis expoſitos ad perniciem animarum, retinaculis et mediis divinitus ſanctificatis, quibus conſervari, et quaſi ex igne eripi poſſint, privari. Certe in Theologiæ Profeſſore, qui paſtores format, et ut ad omnia fidelis concionatoris munia, ſi ad ſpiritualem παῤῥησίαν, et zelum pro domo Dei, inſtruit et excitat, hoc minime ab eccleſiis Dei ferendum cenſeo; ut hiſce ambiguis et verſatilibus cothurnis, frigidam ſuffundat, et iniquitati temporum adjutrices manus prebeat. Ignoſce Vir Cl. ſi ovum ovum, ſcapham ſcapham vocem; ſub hoc enim noſtro cœlo, ita nati, ita educati, inſtructi, et aſſueti ſumus. In re tam gravi, ex qua eccleſiæ ædificatio, miniſterii verbi Dei libertas, et functionis eccleſiaſticæ exercitium fidele dependet, cum omni cautione prudenti, et limitationibus tutiſſimis, loquendum, et determinandum eſt.

3. Cum in exercitio miniſterii, et ſacra functione, a paſtore quidpiam dicatur aut committatur, quod ad ſeditionem tendere judicat Magiſtratus, in eccleſia conſtituta, abſque eccleſiaſticorum conſcientia et judicio diſcretivo, per vim coactivam pro imperio, a Magiſtratu civili, paſtorem illum loco moveri, et ex eccleſiaſtica functione deturbari poſſe, nec legitimum, nec tutum, nec eccleſiæ ædificationi conducens, nec mutuæ inter reipublicæ et eccleſiæ regimen concordiæ requiſitæ conveniens, judicamus,

asserere. Magistratus ecclesiæ iniquus, sive latens ejus hostis, seditionis contumeliæ probrique prætextu, facile omnes fidelissimos zelotas, et utilissimos ecclesiæ pastores, qui depravatis seculi moribus, et grassantibus in regimine vitiis, spirituali prudentia et zelo resistunt, ex ministerio deturbare posset. Hanc portam jure divino ipsi apertam esse, insanus est qui asserat. Tali in casu causa mixti fori est, agitur enim de civili crimine in re et actione ecclesiastica; ubi actio ecclesiastica ministeriali ecclesiæ judicio discernenda, crimen commissum imperiali Magistratus potestate dijudicandum & decidendum est. Proinde mutuæ concordiæ dextræ hic conjungendæ, ne quidpiam in alterius injuriam ab una parte decernatur.

Ita in ecclesia constituta Israelitica, quamvis politicus et ecclesiasticus senatus causis personis et finibus essent discreti, consilia tamen quædam ex politicis et ecclesiasticis leguntur constituta: exempli causa Num. 31. in historia *Iosuæ*, historia *Iehosophati*, *Ezechiæ*, *Iosiæ*, & similibus. De quibus *Cl. Iunius* in Analyli in Deut. 17. observat, *fuisse in iis non confusionem, sed conjunctionem consiliorum: quam conjunctionem*, inquit, *aut ordinariam, aut extraordinariam legimus; ordinariam quando res ecclesiæ & reipublicæ communis agebatur, qua in re politicos sine ecclesiasticis, nec homines ecclesiasticos sine politicis, æquum est consilia*

inire,

inire, ne in fines alii aliorum dicantur involare, quod est in omnibus humanis actionibus periculosissimum. Est enim distinctio cognitionis, quasi fons ordinis in rebus gerendis: sic ubi de ceremoniali & civili distributione prædæ agendum fuit, commune fuit consilium Mosis cum Eleasaro Num. 31. ubi de tribubus trans-Iordanis cognoscendum fuit, quæ altare in transitu exstruxerant, consilium utrumque convenit Iosuæ 22. Extra ordinem vero, ubi respublica & ecclesia fuit instauranda, post commune consilium authoritate regum Iehosophati, Ezechiæ, Iosiæ habitum, de utroque consilio certi homines fuerunt deputati, qui consilii utriusque nomine res politicas & ecclesiasticas procurarent. Sic & a *Zeppero* scribitur de leg. Forens. Mosaic. lib. 5. cap. 3. *utraque judicia promiscue etiam convenisse, ordinarie & extraordinarie:* ordinarie, ubi res mixtæ offerebantur, quæ pariter ad ecclesiam & rempublicam pertinebant, & communi attensione ab utroque confessu tractandæ erant: extraordinarie, ubi status reipub. aut ecclesiæ collapsus, omnium consilio instaurandus fuit: istis autem casibus ab utroque judicio quosdam delegatos fuisse, qui utriusque nomine res ecclesiæ procurarent.

4. At si in re civili quiddam a pastore committatur, quod ad seditionem, contumeliam, aut probrum Magistratus tendat, civiliter, a solo Magistratu, tota res est cognoscenda & di-

judicanda; & civili pœna non ecclesiastica mulctatur: morte, exilio, carcere, ignominia publica, mulcta pecuniaria, &c. puniendus est pastor, civiliter, a Magistratu, ob crimen civile; non canonica degradatione, aut ecclesiastica remotione ab officio spirituali: hoc enim est ecclesiasticam administrationem obire, ut in superioribus observavimus ex *Iunio*, differente de *Salomone Abiatharum*, criminis læsæ Majestatis reum, civiliter judicante, & in exilium relegante; non vero ecclesiastice à sacerdotio removente. Vide notam 8. lib. 1. cap. 20. de Conciliis.

Secundus casus in quo Cl. Vir statuit Magistratum pro ratione delicti in pastores animadvertere civiliter, & efficere seu mandare, ut suspendantur aut removeantur ab officio, est, *si errores aut hæreses doceant*. Respondemus 1. De pœna & coercitione hæreticorum, quam moderate sentiant plerique Theologi, novit Vir Cl: laudatur a multis Reformatis sententia *Lactantii*, qui ita inquit lib. 5. institut. cap. 19. *Defendenda tamen religio est, non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed sapientia, non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum: nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur & violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sub-*

ſublata, jam nulla eſt. Et paulo ſuperius: *non eſt opus vi & injuria; quia religio cogi non poteſt. Verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas.* nos iis lubentes aſſentimur, quæ D.D. Profeſſores Leydenſes exhibent in Cenſura confeſſ. Remonſtr. cap. 24. pag. 318. hiſce verbis: *Fatemur ſane nos, quod tuitio eccleſiæ Dei, & ab hæreticis aſſertio à Magiſtratu fieri debeat ſecundum naturam regni Chriſti, quod voluntarium maxime populum deposcit. Nihilominus tamen eo ipſo non evertitur Magiſtratus hæc poteſtas, qua pro ſuæ vocationis modo, & quoad ejus commode fieri poteſt, hæreticos & lupos graves, eorumque exitioſum impetum, contagionem & gangrænam ſerpentem & depaſcentem, ſiſtere & coercere, ne ſyncera pars in vitium trahatur, poteſt & debet; neque pati hæreticorum & impoſtorum, mente corruptorum, & αὐτοκατακρίτων, ſuo ipſorum judicio condemnatorum, & corrumpentium alios, deceptionibus, ſimplices irretiri, ac turbari eccleſiæ tranquillitatem & incolumitatem; ac tum eccleſia quoque reipublicæ Chriſtianæ; modo id fiat corrigendi non vindicandi eos animo, ut graviter de ea re diſſerit beatus Auguſtinus Epiſt. 47. ad Vincentium, & Epiſt. 50. ad Bonifacium Comit. & alibi. Hæreticidium autem, ob ſimplicem & nudam hæreſin, nemo noſtrum ſimpliciter aſſeruit; imo contra in pontificiis, ſcilicet ipſis hæreticiſſimis, ſævitiem illam adverſus ſimplices hæreticos, quos vocant, omnes damnarunt; ut qui magis mente, quam voluntate labo-*

laborantes, ratione potius oppoſita curandi, & opinio concepta illis eximenda fuerat. Tantum in republica Chriſtiana, Chriſtianiſmo publice ſuſcepto, in Apoſtatas, id eſt, Chriſtianiſmum eiurantes, & ad ethniciſmum, Iudaiſmum, vel Mahumetaniſmum tranſeuntes, & blaſphemos contumaceſque eoſdem inſuper hæreticos, ac reipublicæ turbones, ſeverior animadverſio a quibuſdam magnis Theologis aſſerta eſt; idque ſecundum legem divinam latam in Apoſtatas Deut. 13. & blaſphemos Levit. 24. 15. & Num. 15. 30. quam & ſubditis ſuis fixit Nebucadneſar Dan. 3. 24. quas cur hic antiquatas dicamus potius, aut minorem vim habere in novo quam veteri Teſtamento, & Magiſtratus authoritate & poteſtate ex veteri Teſtamento in novo continuata, minus illum ipſum obligare in hac cauſa, quam in aliis quibuſcunque criminibus, nulla iuſta ratio ſub eſſe videtur. Quamvis nos quod attinet, etiam hic debitam moderationem adhibendam, cum priſca eccleſia arbitramur, quod de Apoſtaſia & blaſphemia tali ex conſequentiis facile iudicandum non ſit.

2. Errores & hæreſes, cum nullæalia peccata, civili animadverſione digna, iis connexa & implicita hærent, inter cauſas eccleſiaſticas ſunt numerandæ; utpote, quæ in re ſacra; contra eccleſiæ diſciplinam, leges & officium eccleſiaſticum committuntur, & ad eccleſiæ cognitionem & judicium ſpectant, & ſpirituali excommunicationis pœna ſunt emendandæ, & quidem

dem ecclesiastico modo; post admonitiones prævias cum contemptu, seu contumacia rejectas Tit. 3. 10.

3. Si vero errores & hæreses alia peccata civili animadversione digna conferant & attrahant, Magistratus in pastores hæreticos tum civiliter animadvertere potest, pro ratione delicti: leges enim divinas in Apostatas, Blasphemos nusquam antiquitas cum D. Profess. Leyd. statuimus, easq; non minus sub N. quam sub V. T. locum habere. Sin vero reipublicæ turbones evadant hæretici, ex lege civili civiliter, cum iis agere potest Magistratus: pro natura & ratione malefacti fortitur tum judicem hæreticus, ex jure communi.

4. Magistratus suspensionis aut depositionis pœnam sua potestate directe & primario infligere non potest hæretico pastori; est enim hæc pœna spiritualis, quam primario infligere non potest princeps, ut superius vidimus. Sed quemadmodum vocatio ad ministerium ecclesiæ & presbyterio jure divino competit, ita & revocatio & remotio a ministerio; quis enim exautorare potest, nisi qui authoritatem contulit? quis ministerii potestatem alicui eripere, nisi qui eam tribuit? Nam summæ ἀπαξίας est, si quos ecclesia vocaverit, eos magistratus exautoraverit; & indignum est ordinem sacrum ab iis ipsis everti, & quos ejus custodes esse

esse oporteat. Hinc *Reverendus Iunius* in eccl. lib. 3. cap. 3. ita inquit: *quamobrem neque tumultuarie ecclesia, aut ecclesiæ pars, eos functione abdicare potest, qui sancta ratione in ea fuerunt instituti, neque humana authoritas; quid ergo? certe cum vocationis ecclesiasticæ solum authorem esse dominum supra demonstraverimus, ecclesiam vero voluntatis ipsius in hac administram; si quid alia ratione fit, quam ex domini voluntate, & testificatione ecclesiæ, id non potest Deo & ecclesiæ ipsius non esse contumeliosissimum. Nam Christus caput est ecclesiæ a patre datus; vicissimque ecclesia est capitis sui administra, cujus solius ministerio Christus officia sui corporis dare solet atque adimere. Aut (si placet idem dici à nobis evidentius) Christus maritus est ecclesiæ, ecclesia illius conjux: quamobrem quisquis servus in domo Dei est, is mandato domini (quod solus illius spiritus, & sola ecclesia testari potest) & ad officium suum accersitur, & ab officio removetur.*

5. Magistratus tamen potest graviter monere ecclesiam particularem, ut pastorem hæreticum removeat, & authoritate publica excitare & munire classium & Synodorum potestatem, qua constringatur ecclesia particularis, ut debitam jurisdictionem exerceat, & pœnam ecclesiasticam infligat erranti hæretico. Potest etiam ad preces ecclesiæ contumacem & reluctantem hæreticum, qui cum contemptu ecclesiasticæ jurisdictionis ecclesiæ jura & potestatem perfringit,

fringit, & ab ecclesiastico munere remotus contra ecclesiæ judicium in eo perseverat, brachio seculari deturbare, & vi coactiva prohibere ab exercitio ecclesiasticæ functionis: id enim ut ecclesiæ nutricius & legis divinæ custos, ad ordinem, jurisdictionem, & disciplinam ecclesiæ stabiliendam, peragit. Ipse tamen non potest ecclesiasticam illam administrationem ratione muneris obire, qua jurisdictio & censura ecclesiastica exercetur, ita ut ministrum suspenderet aut removeret a functione, aut dignitate ecclesiastici muneris. Suspensio enim & remotio a munere ecclesiastico, non imponitur solum, ut delictum puniatur, sed ut a contumacia & peccato recedatur; & proinde non habet rationem solius pœnæ, sed habet rationem censuræ, ut optime alibi *Suarez* distinguit. Ecclesiæ censuram vero Magistratui non competere pro canone ecclesiastico habeo.

Tertius casus, in quo D. Doctor asserit Magistratum potestate coactiva civiliter in pastores pro ratione delicti animadvertere posse, & efficere, seu mandare, ut suspendantur, aut removeantur ab officio, est vita flagitiosa, *si denique*, inquit, *alioquin flagitiosi sint*. Vt casus hic ex Dei verbo & recte sentientium sententia determinetur.

1. Distinguimus cum *Clar. Iunio* in ecclesiast. lib. 3. cap. 2. peccata publica, "in ecclesiastica

&

& forensia. Ecclesiastica autem sive ecclesiasticæ cognitionis peccata dicimus, quæ leges humanæ & civiles non persequuntur, sed ab ecclesia emendari postulat hominum conscientia, ut reconcilientur Deo & ecclesiæ per gratiam Christi. Ejusmodi fuerunt illorum facta quos Cyprianus & alii patres sacrificatos, Thurificatos, & libellaticos dixerunt. Ejusmodi sunt, qui in propatulo στεγανίαν sectantur, impura in theatris spectacula, et alia id genus; item quicunque se rebus impiis extra ecclesiam Dei commaculant. Forensia vero peccata, quæ humanæ leges et judicia persequuntur; puta quæ contra officia honoremque debitum, contra vitam, corpus, bona, existimationemque proximi veniunt; prout secunda legis tabula continentur. Nam illa emendari postulat jus conscientiæ præscriptum, Dei verbo? hæc non conscientiæ solum, sed judiciorum quoque humanorum severitas jubet castigari."

2. Forensia peccata, si flagitia sint, jure a Magistratu civiliter judicante puniuntur: imo & hoc condenimus ex eodem *Iunio*, si cognitio fori prævenerit cognitionem ecclesiasticam presbyterii, quod presbyterio, judicium ejus peccati attingere, non sit tutum, donec res cognitione civili judicata exstabit. Ita inquit lib. 3. eccleſiast. cap. 2. *Forensia peccata, si cognitio fori prævene-*

prævenerit, presbyterium ne attingito, donec res cognitione civili judicata extabit: quia res judicata pro veritate haberi solet. Si enim secus faxit presbyterium, non raro & Magistratus & presbyterii minuitur authoritas, & misere ecclesia scinditur imprudenti, intempestivoque hominum male sanorum facto. Quid ita inquies? primum, quia non potest duplex cognitio institui de eadem re: nam quod re judicata presbyterium cum damnato agit, non est nova cognitio; sed potius rei comperti & damnati revocatio ad resipiscentiam, & necessaria ejus cum Deo & ecclesia reconciliatio. Deinde quia facti probationes in probationibus positæ, sunt judiciorum magis, quam presbyterii. Postremo, quia non habet Satanas viam expeditiorem ad civilem administrationem, cum ecclesiastica committendam, labefactandam authoritatem utriusque, & eripiendam ecclesiæ pacem, quam si alter quamvis imprudens involet in cognitionem alterius. Quod si fori cognitione presbyterium non prævenietur, tum partibus suis fungitor ex ecclesiasticæ censuræ lege: & peccatoris animum & conscientiam ad officium pietatis & resipiscentiam revocato. Verumtamen eam resipiscentiam temere ne approbato, quæ humanis legibus non satisfecerit; sed integram semper Magistratui cognitionem suam reservato.

3. Igitur statuimus cognitionem civilem Magistratus non impedire cognitionem ecclesiasticam ecclesiæ, ob flagitia in pastorem cen-

tabulæ proferendæ, & rationes ex iis promendæ; non magiſtrales hominum aſſertiones, jus & veritatem rei demonſtrant.

Pag. 60. diſſerit Clar. Vir, quid extraordinarie Magiſtratus vi coactiva in paſtores poſſit; & duo ſtatuit. 1. *Orthodoxi Theologi*, inquit, *docent Magiſtratum extraordinarie etiam abſque præcedaneo judicio eccleſiæ in paſtores animadvertere poſſe, quando flagitia manifeſta & ſcelera commiſerunt.* Fatemur nos Magiſtratum ob delicta notoria & ſimpliciter civilia, paſtorem poſſe, civili pœna mortis, exilii, incarcerationis, &c. afficere, idq; abſq; eccleſiæ judicio præcedaneo, uti cap. ſuperiori dictum. Fatemur etiam paſtorem pœna tali affectum, quandoque ex conſequenti & ſecundario removeri a munere eccleſiaſtico, uti in caſu Abiathari factum oſtendimus. Sed quandoque ob delictum aliquod forenſe, Magiſtratus paſtorem pœna commerita afficit, nec tamen per pœnam illam, ex neceſſario conſequenti, paſtor à munere & dignitate eccleſiaſtica removetur: eo in caſu ex officio eccleſiaſtico non excidit paſtor, niſi eccleſiaſtico judicio ejiciatur; pœna enim civilis non eſt ſpiritualis ſeu eccleſiaſtica: & ea presbyterio ſua poteſtas non eripitur, ſive retinendi, ſive ejiciendi paſtorem illum, prout eccleſiæ ædificatio, & piorum commune bonum ſpirituale & eccleſiaſticum poſtulare videbitur. Negamus

vero Magiſtratum, ullo divini juris prætextu, miniſtrum poſſe exautorare, ſeu ſuſpenſione, aut remotione a munere eccleſiaſtico, aut ejus exercitio punire, abſque eccleſiæ judicio, vi coactiva, & poteſtate ſui muneris; vide rationes in ſuperioribus allatas: & ſua luce hæc patent; & nemo qui publicam eccleſiaſticam, & politicam poteſtatem diſcernendas ſtatuit, jure hæc negare poteſt.

2. *Iunius* (inquit D. Profeſſor) *ultra delicta capitalia, illam poteſtatem extraordinariam extendit, quando eccleſia ab officio ſuo deficit. Statuit enim deficiente eccleſia ab officio poſſe Magiſtratum extra ordinem procurare, ut eccleſia redeat ad officium: extraordinariis malis extraordinaria adhiberi remedia, &c.* Nos hæc in genere dicta facile concedimus, & approbamus, explicatione hac adjecta.

1. Modo intelligatur eccleſia, non tantum particularis, ſed & combinata, claſſis, Synodus; cum eccleſia in omnibus ſuis cœtibus deficit totuſque clerus eſt irreformabilis, extra ordinem Magiſtratus procurare poteſt, ut redeat ad officium.

2. Cum hoc fit in rebus magni momenti, a quibus diſſipatio, aut ruina eccleſiarum & fidelium dependet; ob exigui momenti res omnem eccleſiaſticæ diſciplinæ ordinem perfringere, nec politicæ ſanctificatæ prudentiæ eſt, nec juris divini æquitati convenit.

3. Te-

3. Tenetur etiam Magiſtratus perficere hoc negotium eo ordine, qui maxime cum lege divina congruit: poteſtatem igitur eccleſiæ datam, quæ eo in caſu adhiberi poſſit, ut Clerus irreformabilis ad officium redigatur, non evertit, ſed excitat, ſtabilit, & munit: verſatur enim hac in re ut cuſtos divinæ legis, eccleſiæ nutricius, & poteſtatis, & ordinis eccleſiaſtici defenſor.

4. Quid vero Magiſtratus in malo extraordinario poſſit, non ita facile eſt deſcribere, nam circumſtantiæ hic ſæpe jus variant; æquitas & juſtitia actionum ex fine, cauſa, &c. omnibuſque aliis adjunctis [illegible]æſtimanda. *Non repreſentantur certis exemplis in novo Teſtamento omnia quæ pertinent ad plebem*, addo ad Magiſtratum fidelem, *in caſu reformationis poſt generalem Apoſtaſiam*, inquit alibi *Ameſius*. Ex conſilio Theologico, & Caſuum Theologia, in rebus particularibus, multa pro circumſtantiarum ratione, ex rigore, aut æquitate juris, ſunt decidenda.

5. Illa quæ Magiſtratus pius, extraordinarie, in caſu ſeu malo extraordinario poteſt, non facile in exemplum ſunt trahenda; & in eccleſia conſtituta & ordinata in uſum revocanda non ſunt.

Pag. 63. in Reſponſo ad conſiderationes, coactiva Magiſtratus poteſtas limitatur & reſtringitur *ad ea imperanda, quæ ad officium paſtorum*

recte & secundum præscriptum verbi Dei faciendum & ad conservandam incolumitatem religionis faciunt. Optime, quod Cl. Vir omnem Magistratus potentiam ad incolumitatem religionis referat, nullus enim contra veritatem quidpiam jure potest in ecclesia: sed adde etiam ad conservandam ecclesiæ disciplinam, ordinem, & regimen ecclesiasticum, & ad jura & libertates ecclesiæ asserendas. Non enim Magistratus pius, ecclesiæ nutricius, & legis custos, curam tantum religionis suscipit, ut ea incolumis existat; sed etiam disciplinam, ordinem, regimen, jura, & libertates ecclesiæ asserit, & ab omni violatione, & oppressione vindicat. Deinde & hoc addendum, ut Magistratus, hac sua coactiva potestate in pastores, non tantum bonum agat, & intendat, sed etiam bene; id est, ut eam adhibeat ex ordine divinitus præscripto, & non pro voluntate, & imperio. Si enim ea ecclesiasticos adigat, ut officium suum recte, atque secundum præscriptum verbi divini faciant; oportet ut & ipse recte, & ex præscripto divini procedat, & officium suum peragat: bonum bene fieri oportet; sin minus, violantur Dei præcepta, & male agitur, in re bona.

Pag. 63. Vir Clariss. ut satisfaciat objectioni ab exemplo Apostolorum desumptæ, in quos Magistratus Hierosolymitanus potestatem cum imperio conjunctam & coactivam non habuit in

in re ſacra; ita ut nulla ratione ſeditionis rei fuerint Apoſtoli, contra mandatum illius Magiſtratus annunciando evangelium Chriſti: poſtquam reſpondiſſet, *quod Magiſtratus is Apoſtolis præcipiebat illicita & impia, cujus juſſui conſequenter illi non tenebantur obedire*; etiam hoc addit, *quod ipſe loquatur, non de quovis Magiſtratu ſummo ſed de orthodoxo, qualis Magiſtratus ille Hieroſolymitanus non erat.* Quod quomodo ad rem faciat non video: Magiſtratus enim Heterodoxus, modo præcipiat & imperet miniſtris, & eos cogat, ut faciant, non quæ contra eorum officium ſunt, ſed quæ officium eorum poſtulat; non quæ ad deſtructionem religionis, ſed ad conſervandam incolumitatem religionis faciunt; eandem omnino authoritatem & poteſtatem obtinet jure Majeſtatis, quam orthodoxus habet. Hinc in eccleſiarum Belgicarum confeſſione, illa, quæ ad religionis & miniſterii curam pertinent, quæque apud multos authores reſtringuntur ad Chriſtianum Magiſtratum, indefinite & abſolute, ad Magiſtratum, qua talis extenduntur. Atque hoc optimo quidem conſilio: quum Magiſtratus idem ſit, eadem poteſtas, ſive perſona ſit fidelis, ſive gentilis, aut heterodoxus: neque deſideretur in Magiſtratu infideli (ut imperet quæ oportet) ordinis poteſtas, ſed perſonæ voluntas: neque etiam fiat ex Chriſtianiſmi acceſſione ulla authoritatis am-

plificatio, ſed ſola ejuſdem ſanctificatio, ut perſonæ primo. Dominatur princeps ſubditis ſuis qua tales utrique; non qua fideles, aut ille, aut illi. Solus enim fidei Dominus Ieſus Chriſtus fidelibus, qua tales, ut ſubditis ſuis dominatur: ut neque regum ſubditi, qua ſubditi, eccleſiæ pars ulla ſint, ſed regni. Eadem eſt fides Chriſtiana principis, & ſubditi; & ex eadem fide quæcunque oriuntur, utriſque communia ſunt; *cum in Chriſto Ieſu neque ſervus ſit neque liber*, addo, neque Magiſtratus, neque ſubditus, *ſed omnes in eo unus ſunt*. Sicut igitur ex fide Chriſtiana, nulla, ne minima quidem obtingit ſubditis publicæ adminiſtrationis poteſtas; ita nec principi major aut uberior, quam qua non fidelis potitus eſt. Et quæ major aut uberior eſſe poterit. Habet authoritatem Magiſtratus, etiam gentilis heterodoxus, tanquam Dei miniſter, ſubditorum bono & mandandi & procurandi (modo & medio legitimo) quæcunque ad vitam ſive animalem ſive ſpiritualem ſpectant, modo verbo Dei non adverſentur. Quæ vero eidem Dei verbo contraria ſunt, abſit ut Magiſtratui Chriſtiano vel imperare, vel procurare conceſſum ſit. Quod tamen ſi faciat vel hic vel ille, aut jubendo quod Deus prohibet, aut prohibendo quod Deus jubet, (cum id perſonæ non muneris vitio fiat) nihilo magis ſolvitur ab obedientiæ vinculo ſubditus; ſed eandem abſolute

abſolute præſtare tenetur; ut activam faciendo quod imperat, ſi factu licitum ſit; ſic paſſivam, ſi illicitum, patienter ferendo quam infligit pœnam. Denique ſi qua poteſtas politica in rebus ſive politicis ſive eccleſiaſticis Magiſtratui accedat ex Chriſtianiſmo & orthodoxia, tum & defectione ejus ab iiſdem, ſive per idololatriam, ſive hæreſin, ſive profanitatem, eandem comminui & convelli neceſſe eſt: unde quam lata feneſtra, imo porta ſubditis ſeditioſis ſub ſpecie religionis Chriſtianæ, præſertim Catholicæ pateret ad turbas excitandas; neminem latere poteſt. Ex hiſce igitur patet, quod ex jure divino & præceptis Dei cura veræ religionis omni Magiſtratui incumbat, & quod oporteat, ut etiam infidelis & heterodoxus, ex vi & ratione officii quod gerit, ſit nutricius eccleſiæ veræ, & cuſtos utriuſque tabulæ: & proinde quod eandem omnino inſpectionem habeat in eccleſiam, ut omnia rite & ex præſcripto verbi Dei ibidem peragantur, quam orthodoxus Magiſtratus habet, ratione ſui muneris & dignitatis. fatemur quidem ob cœcitatem mentis, depravatam voluntatem, Magiſtratum Heterodoxm & infidelem, non ſatis fideliter munia, ratione muneris ipſi impoſita, exercere; Non tamen in eo eſt defectus poteſtatis, ſed voluntatis tantum. Sic accurate diſſerit reverendus Dominus *Rivetus*

noſter præceptor, in Decalogum pag. 265.266. ubi explicat quæſtionem hanc, *an etiam Magiſtratui infideli jus illud concedi debeat, ut in ipſam eccleſiam & viros eccleſiaſticos eam poteſtatem exercere poſſit, quam Ezechias & alii reges pii exercuerunt*; ita inquit: *hic ſane diſtinctione opus eſt, cum duo ſint in eo qui præeſt & eminet tanquam caput alicujus communitatis,* προέδρια & προμήθεια. *id eſt, eminentia & providentia, quibus caput reliquis corporis membris antecellit, dicimus infidelem virtute muneris & officii ſui prius illud habere; altero autem carere ob inſitam pravitatem. Inde eſt quod talis Magiſtratus non faciat quæ capitis ſunt, niſi morbidi & phrenetici; quod etſi originalem principatum retineat, illum tamen non fideliter exercet. In infideli principe non eſt defectus poteſtatis, qui impedit ne vitia eccleſiaſticorum taſtiget, aut virtutem pietatemque fidelium promoveat, ſed voluntatis tantum.* Apoſtolis de impiis & à Chriſto alienis ad Rom. 13. *Si recte feceris,* inquit, *laudem habebis à poteſtate, Dei enim miniſter eſt. Ex officio igitur, etiam infidelis, vitia vindicabit, improbitatem ulciſcetur, licentiam comprimet, quia Dei miniſter eſt; ex depravato autem ingenio, ex ignorantia iuris, ex animi habitu malo, non faciet. Quamquam exempla etiam proferri poſſint eorum infidelium, qui circa res religionis, prout ipſis nota erant, præclara ſtatuerint nonnulla, etiam in coercitione perditorum ſacerdotum.* Adde etiam illa, quæ cap. 4. ſect. 1. de hac quæſt. annotavimus.

Eo-

Eodem in loco ita caput hoc consignat Vir Cl. atque hoc illud ipsum discrimen est, quod inter potestatem Magistratus circa res religionis, & circa mere civiles in consideratione rectè statuitur. Sic satis ambigue & obscure hæc dicta sunt: videtur D. frater totum discrimen inter potestatem Magistratus circa res religionis & mere civiles, in eo constituere, quod orthodoxus Magistratus res religionis curare & tractare debeat ac possit, heterodoxus non item. Quid de hoc discrimine sit sentiendum jam diximus: quod plura majora & solidiori fundamento innixa discrimina sint inter potestatem Magistratus circa res religionis, & mere civiles, facile perspiciet Lector, si sanus reputet illa, quæ in superioribus sunt disputata.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google